ANTONII STÖRCK,

Sacræ Cæsar. Reg. Apost. Maj. Consil. Aulici Arch. & in Nosocomio Civico Pazmariano Physici,

NECNON

HENR. JOS. COLLIN,

Medici Viennens. ac ejusdem Nosocomii Physic.

ANNI MEDICI,

ATQUE

OBSERVATIONES

CIRCA MORBOS ACUTOS AC CHRONICOS,

Adjiciunturque eorum Curationes, & quædam Anatomicæ Cadaverum Sectiones.

EDITIO NOVISSIMA, CORRECTIOR.

Præfatus est B. AUBERT, Doct. Med. Monsp.

TOMUS SECUNDUS.

AMSTELODAMI,

Sumptibus Fratrum DE TOURNES.

M. DCC. LXXIX.

PRÆFATIO.

LAUDABILI, *quod felicibus auspiciis*, *applaudente unanimi eruditorum conventu*, *prædecessor meus* ANTONIUS STORCK: (*cujus*, *nonobstante Archiatri munere*, *frequenti adhucdum præsentia gaudet nostrum nosocomium*) *inchoavit*, *satisfacturus instituto*, *morborum historias*, *eorumque curationes*, *ea*, *qua ipse olim fecit*, *simplicitate*, *referam*.

Quingenti nonaginta & aliquot ægri a mense Julio anni 1760. ad mensem Julium 1761, *acute apud nos decubuere*, *ex quibus quadraginta septem mortui*

ſunt: reliqui autem omnes ſanitati reſtituti fuerunt.

Fuit ergo acutorum numerus minor, quam annis præcedentibus: remiſit nempe epidemia, quam celeberrimus noſocomii hiſpanici phyſicus Dominus Haſenohrl *in tractatu, quem de illa edidit, cap. 2. pag. 5. menſibus Novembri & Decembri, anni 1757. incepiſſe refert, & in epiſtola dedicatoria ejuſdem opuſculi vix non integro triennio duraſſe aſſerit.*

Omni menſe deſcribendis præpue morbis, qui vel maxime graves fuerunt, vel in noſocomio frequentiores, occupatus fui: & ut repetitionibus lectori tædium non parerem, ubi morbus uno menſe deſcriptus, aliis etiam menſibus obſervatus eſt, illius hiſtoriam omiſi: niſi peculiaribus

ſymptomatis ſtipatus diverſam exegerit medendi methodum.

Quas ſequentibus annis circa morbos acutos feci, obſervationes ſucceſſive non longa interpoſita mora, typis mandabo: adjunctis etiam iis, quæ cum Colchico, Hyoſciamo, *&* Aconito *feci, experimentis.*

Bonum vero, & publico gratum opus præſtiturum me credidi; ſi præcipua, quæ trium, & ultra, annorum tempore cum cicuta inſtitui, experimenta. in hac prima obſervationum mearum parte communicarem. Curantur enim hac planta multi, qui ante illius uſum fere ab omnibus omni arte medica ſuperiores habebantur morbi: curatos vidi, & viderunt mecum plures, ſcirrhos inveteratos & cancros, quorum curationem ante detectam cicutæ virtutem periti

medici vix unquam ſperare auſi ſunt. Tale medicamentum deſideravit omnis ætas, & forte ſemel inventum iri ſperavit Illuſtriſſimus L. B. van. Swieten, *qui in commentariis ad aphoriſm.* §. 509. *poſtquam in præcedentibus varia de ſcirrho & cancro diſſeruit, ac ſe, &* Hildanum *fallaci ſpe in curando cancro deluſos fuiſſe retulit, ait: « forte tamen & inde » aliqua ſpes affulget, non penitus impoſſibilem eſſe cancri ſeparationem a partibus ſanis, » licet hactenus ignoretur, qua » methodo, quibuſve remediis hoc » fieri poſſit. Quam felix ille, » qui hoc inveniret! Quanta » pœna dignus, qui inventum » celaret, turpis lucri cauſa.»*

Invenit Magnificus Storck *& generoſiſſime promulgavit egregium illud medicamentum, quo tot miſeri jam morti erepti fue-*

runt, & eripiuntur quotidie: cujusque successum in dies majorem evasurum, omnium proborum medicorum, quibus salus proximi cordi est, blanda spe eriguntur animi: modo plures fuerint qui unita opera omnes suos de cicuta casus (sive ei felices sive infelices fuerint) fideliter adnotarint, diversitatemque symptomatum ejusdem morbi in diversis subjectis, ut & exinde pendentium medicamenti effectuum, curationumque differentias inter se attento animo contulerint, ut ex his omnibus evidens conclusio deduci possit, & demum clarius patescat: cur cicuta morbos omnibus aliis medicamentis pertinaciter resistentes in plerisque subjectis celeriter & facile curet, quos in aliis tam lente aliquando aggreditur, ut medicus in exhibendo & æger in assumendo suam patientiam ferme amittant? cur demum in qui-

busdam mutet prorsus nihil, licet diu & magna dosi sumatur? ex horum vera & exacta cognitione in firmum & debitum redigetur ordinem res cicutaria: voveo speroque fore, ut omnes boni medici salutari huic operi suum laborem, suamque industriam non denegent. Interim contingit aliquando, ut ab externo cicutæ usu juventur ægri, qui diu cicutam sine ullo effectu assumpserunt: sic Cl. ac celeb. Hoffmannus, *Professor Eisenfurtensis solo cicutæ balneo sanavit plures, quibus internus hujus remedii usus non profuerat. Idem & nos in nostro nosocomio confirmatum vidimus pluribus experimentis. Studio nempe, & indeffesso labore acquirit ars incrementum & salus ægrotantium promovetur.*

HENR. JOSEPH. COLLIN,

Nosocomii Pazmarianni Physici Ordinarii, & Sacræ Cæsareo-Reg. Apost. Majest. Reg. infer. Aust. Consiliarii,

OBSERVATIONUM

CIRCA

MORBOS ACUTOS

ET

CHRONICOS FACTARUM.

PARS PRIMA.

TOMUS SECUNDUS.

DE
MORBIS ACUTIS.

MENSIS JULIUS.

QUI febre acuta simplici decubuere, facile morbum superarunt; pulsum habebant febrilem sat æqualem, respirationem naturali paulo celeriorem, non dolentem, sitim sat magnam, & levia alimenta libenter assumebant; alvus liquida jam ab initio morbi bis ter de die deponebatur, sine virium labefactatione; urina naturali coloratior, in aliquibus nubeculam in fundo gerebat, in aliis nullam, cutis erat sicca, lingua albescens; somnus paucus, & fere omnes capite dolebant.

His ægris, si tres excipias, quibus

pulſus nimis plenus & fortis deprehendebatur, vena non ſecta fuit.

Medicamenta emollientia, aperientia, qualia ſunt decoctum N. 1. & emulſ. N. 2. cum lenioribus paregoricis, veſperi ad ſomnum faciliorem conciliandum exhibitis, toto morbi tempore ſuffeçere: his enim brevi cutis molleſcebat, & leniebatur capitis dolor, nec de alvo ſiſtenda cogitavi, cum ægri inde mali nihil paterentur.

Circa ſeptimum morbi diem alvus mutabatur in pultaceam, flavam, criticam, morbum tollentem, vel omnino ſilebat oborto copioſo ſudore, multum levante, vel morbum penitus tollente: raro poſt talem ſudorem ultra triduum duravit morbus. Talis ſudor etiam in iis, quibus ſeptimo die febris ceſſavit, 8. & 9. die ſæpius erumpebat; urina futuram criſin non denotavit, immutata enim manſit toto morbi tempore, donec præſente evacuatione critica in aliquibus ſedimentum ſat copioſum, album, leve deponeret, & ſequenti die omni nota naturalis deprehendebatur.

Finito morbo ægros alimentis levibus refeci, donec viribus ita pollerent, ut facile extra lectum manere, & in cubiculo deambulare poſſent, ac tunc

Rhei Elect. dr. 1. aſſumpta carnes conceſſi, & brevi integras vires recuperarunt.

Binæ feminæ hoc menſe in noſocomio exanthematibus laborarunt.

Prima ex his puella erat ſedecim annorum, menſtruo fluxu necdum gaviſa; hæc jam initio Junii anaſarca laborans de doloribus ventriculi; appetitu deleto & alvo immorigera conquerens ad noſocomium noſtrum delata fuerat. Datis per menſem remediis, in tali caſu indicatis, anaſarca diſparuerat; reſpiratio libera erat, ac ita appetebat, ut cibis ipſi conceſſis non contenta furtim ab amica acceptis cibis duræ digeſtionis avide veſceretur tertia Julii; quo facto eadem die laſſitudine correpta eſt, anxia fuit, valde ſitivit, ac ſequenti die multum febricitabat, & de magna oris amaritudine conquerebatur; pulſus nec durus, nec nimis plenus erat.

Scr. 1. Ipecacuanhæ aſſumpſit ægra, unde multa indigeſta rejecit tanto cum levamine, ut anxietas fere penitus diſparuerit; ac tum quoque pacatum ſomnum, quo nocte præcedenti caruerat, habuit.

Copioſum decoctum factum ex hordeo crudo. Rad. Bardan. & Acetoſ. cum

oxym. ſimpl. ſumendum & mixturam ex Rob. Sambuci cum ſale polychr. exhibui, nocte ſequenti inquiete dormivit. Tertio morbi die febris aucta erat; copioſo ſudore madebat; urina erat rubra ſine nubecula, diarrhæa fœtidiſſima ægram peſſundabat, ac nonniſi precibus victa juſculum aſſumebat. Ipſi tunc claretum N. 8. & decoct. N. 6. alternis horis data ſunt, ac decoctum ſupra dictum copioſe hauſit: præterea ter Nychthemeri ſpatio Syr. diacod. unc. 1. exhibui, quo etiam diarrhæa ita compeſcebatur, ut per diem & noctem tantum bis vel ter purgaretur.

Manſit tamen in eodem fere ſtatu ægra ad quintum morbi diem uſque, quo cum ſudore magno eruperunt petechiæ purpureæ cum virium dejectione majori & reſpiratione magis laborioſa, pulſu debiliſſimo, inæquali; acceſſit delirium, ac licet lingua nigra, arida foret, non ſitiebat; alvus fœtidiſſima, inſcia ægra, effluebat in lectum.

Acria epiſpaſtica tunc pedibus applicata ſunt, & loco clareti mixt. N. 18. & mixt. cum extract. corr. peruv. uſa eſt. Verum hæc nullum levamen attulerunt, & ſexto die petechiis li-

ventibus ſubito admodum mortua eſt.

Altera femina ſexto morbi die ad noſocomium delata fuerat, poſtquam ſanguis binis venæ ſectionibus ita copioſe eductus fuerat, ut Alexipharmacis poſtea ob nimiam debilitatem refocillari debuerit, pulſus enim valde debilis, parvus, inæqualis, reſpiratio brevis, celeris, delirium continuum, lingua ſicca, ſitis ſat magna aderant, licet enim potum non peteret, oblatum avidiſſime hauriebat; alvus in lectum fœtidiſſima dimittebatur, urina pauciſſima, fuſca cum enæoremate ſpiſſo, ſuſpenſo reddebatur, cutis humeſcebat.

Illico quatuor veſicantia ſuris & brachiis applicata ſunt, ac emulſum N. 17. & mixt. N. 14. ipſi alternatim ſumenda præſcripſi, commendavique ut ipſi copioſus potus propinaretur.

Sequenti die prodiere miliaria copioſiſſima, optime elevata, urina copioſior mittebatur cum enæoremate fundum petente, copioſo, filamentis intermixto, alvus quoque bis eo die prodiit, verum nec pulſus nec reſpiratio inde emendata fuerunt, imo delirium increſcebat cum integra virium proſtratione, & ſoporoſa evadebat.

Veſicans tunc nuchæ applicatum fuit, ſed incaſſum, nam octavo morbi die convulſa periit.

MENSIS AUGUSTUS.

Hoc menſe multi homines morbis acutis inflammatoriis decubuere.

Plerumque prægreſſis laſſitudine ſpontanea inappetentia, horripilatione oriebatur febris, calor, inſomnia, ſiccitas linguæ & cutis, ſitis magna, alvus ſemel vel bis de die exonerabatur fœtida, non levans, urina erat rubra ſine enæoremate, oculi turbidi, flaveſcentes, ac eodem die vel ſequenti dolor acutus, pleuriticus in parte lateris dextra vel ſiniſtra oriebatur, cum tuſſi moleſta, ſicca; pulſus fiebat celerior, durus, reſpiratio denſa, parva.

Venæ ſectio ad Lib. 1. facta, licet ſimul decoctum N. 1. cum nitro & diacodio copioſe exhibitum ſit, ac cataplaſma ex emmollientibus loco dolenti applicatum, ſymptomata non levavit; hinc eadem die veſpere eadem ſanguinis quantitas vena educebatur: unde levati ſunt ægri quoad dolorem

febremque, & respiratio facilior, tussisque minus frequens facta est; nox tamen inquieta fuit, & in binis recruduerunt symptomata omnia, quæ facta tertia venæ sectione iterum leniora reddebantur.

Ægri continuarunt iisdem medicamentis uti, & vespere Syr. Diacod. unc. 1. cum Laud. liq. Gtt. sumpserunt.

Nox fuit pacatior, per plures horas dormierunt, ac tertio morbi die alvus liquida emanserat; urina rubra in aliquibus nubeculam in fundo gerebat, sitis eadem, respiratio licet adhucdum laboriosa, pleniori pectore peragebatur, pulsus erat liberior, minus durus, oculi minus turbidi.

Nihil in methodo medendi mutatum est, ægrique ad diem morbi quintum fere in eodem statu permanserunt præterquam quod aliqui alvum levantem egesserint; illis autem, quibus alvus sponte non cessit, si vel abdomen tensum esset; vel doleret, enemate injecto semel vel bis cum levamine movebatur.

Quinto die plures, prægresso magno cutis pruritu sudore copioso per totum corpus æquali per tres vel quatuor horas maduerunt, sub quo dolor lateris penitus evanuit, & tussis ferme integre siluit;

lingua humida facta eſt, ac pulſus liber & plenior.

Hi ægri decocto N. 1. nitrato uti perrexerunt, ac ſponte ſine paregorico tranquillas noctes habuerunt ; alvus hoc die & præcedente ſemel vel bis depoſita eſt cum levamine.

Septimo die iterum ſudarunt, pluries alvum pultaceam flavam habuerunt, & octavo die nullum febris indicium aderat. Unicus fuit æger, in quo febris ad diem undecimum protracta eſt : continuavit tamen eodem medicamento uti, & die undecimo ſine ulteriori evacuatione ſenſibili febris deſiit.

Brevi vires recuperarunt, ac præter dr. 1. Rhei, quam poſt aliquot dies a ſublata febre aſſumpſerunt, nullo medicamento amplius indiguere.

Tres vero qui quinto morbi die non ſudarunt, ſexto die difficilius ſpirarunt, pulſus celerior, inæqualis, durior evaſit, & tuſſis præ doloris vehementia fere ſupprimebatur : deglutitio difficilior erat, ſitis major & lingua ſicca, alba. Accedebat quoque magnus capitis dolor : hinc poſt meridiem illis ſanguis ex pede ad unc. VIII. eductus eſt, qui brevi cruſta phlogiſtica tegebatur.

Cum dolor & reliqua ſymptomata

vespere nondum remitterent, ac ægri valde debiles essent, nec ultra ideo venam secare auderem, latum vesicans dolenti plagæ applicatum est, ac omnibus Syr. diacod. unc. 1. cum laud. liq. syd. gtt. iv. exhibebatur.

Mane circa 8. accedens binos inveni cum parvo admodum lateris dolore, respiratio erat facilior, pulsus magis plenus, liber, & tussi paucum gluten ejiciebant, difficile tamen ob tenacitatem expectorabant: urina subfusca nubeculam in fundo gerebat & cutis mollis, perspirans deprehendebatur.

His præter decoctum N. 1. dabatur pulvis N. 15. quater de die sumendus.

Vespere dum auferebantur vesicantia, dolor lateris penitus desierat, & noctem sine paregorico quiete transegerunt.

Matutino tempore septimi diei, unus semel, alter vero his alvum pultaceam habuit cum levamine, cutis humida erat, lingua quoque incipiebat humescere; sputa copiosiora prodibant, semper glutinosa, & urina fere naturalis erat: febris erat adhuc sat valida, pulsus tamen liber, æqualis & respiratio non multum impedita; hinc in medicamentis nil mutatum est.

Hoc modo ægri perrexerunt ſenſim ſe melius habere, ac undecimo die morbi ab omni febre liberi erant. Continuarunt tamen uti pulvere expectorante uſque ad diem decimum quartum, quo & expectoratio & tuſſis deſierunt.

Hi ægri ſat brevi vires recuperarunt.

Tertius vero a veſicante nullum levamen habuit, & ſeptimo morbi die inter magnas anguſtias fato ceſſit, cum per 12. horas de nullo dolore ſignum dediſſet. In cadavere inventa eſt pars pleuræ in dextro thorace, ubi perceptus fuerat dolor, ad imperialis fere magnitudinem gangrænoſa, pulmo quoque ejuſdem lateris hinc inde filamentis pleuræ accreverat ſanguine infarctus.

Fuere etiam plures pleuritici, qui ſtatim primo vel ſecundo die ſputa mucoſa ejecerunt.

Eadem tamen medendi methodus adhibita fuit, cum hac differentia, quod tam copioſa ſanguinis extractione non indiguerint.

Plerumque enim poſt primam venæ ſectionem ſymptomata ita lenia facta ſunt, ut in detrimentum ægri ſecunda adminiſtrata fuiſſet.

Vidi enim sæpius, dum per solas venæ sectiones integra doloris ablatio (id quod eo modo sæpe fieri nequit) tentatur, ægros ita debilitari, ut morbo succumbant, vel saltem nonnisi difficillime evadant.

Hinc dum dolorem post V. S. ita vidi minutum, ut respirationem parum læderet, & ægri sine magno dolore tussirent, ac sputa ejicerent, de ulteriori M. S. non cogitavi.

Quando pulsus liberior & æqualior deprehendebatur, licet adhuc duriusculus esset, copioso potu & medicamentis emollientibus, aperitivis, antiphlogisticis facile dolor superabatur, externe simul applicatis cataplasmatibus emollientibus.

Sæpius sic post 12. vel 24. horas dolor desiit, ac pulsus sensim mollitiem naturalem acquisivit.

Si accidit, ut dolor lenitus, vel jam sedatus recrudesceret, repetita venæ sectio juvabat.

In omnibus his ægris circa quintum vel septimum diem sputa cocta prodierunt, quorum ejectio dum difficilior erat & vires sufficiebant pulvere N. 15. simul cum decocto N. 1. alternatim sumpto juvabatur: si vero debiliores

erant ægri, & nullam in pulſu duritiem habebant, præter pulverem N. 15. dedi claretum, quod maxime conducebat illis, qui os amariuſculum habebant.

Solis ſputis nullus curatus eſt, omnes enim circa ſeptimum & nonum diem morbi alvum criticam pluries depoſuerunt, qua tuſſis multo rarior fiebat.

Undecimo morbi die omnes & a febre & a tuſſi liberi erant, ac brevi vires recuperarunt.

Unicus ex his ægris habuit die ſeptimo & octavo urinas cum ſedimento albo, levi, ſat copioſo: reliqui habuerunt urinas initio rubras, ſub finem morbi naturales, ac fere ſemper nubecula in fundo conſpiciebatur.

His, qui circa veſperas tuſſi frequentiſſima defatigabantur, nec ſomnum capere poterant, profuit unc. 1. Syr. diacod. cui ſæpius aliquot gtt. laudan. liq. ſyd. addebantur: raro per diem indigebant paregoricis.

Puellam 25. annorum die pleuritidis quinto pro ratione morbi ſat bene habentem inviſit mater, & triſte nuncium illi attulit, unde morbi facies ita mutata eſt, ut ſexto die febris eſſet valde aucta, dolor acutus lateris continuus,

tussis frequens, difficilis, sicca, cutis sicca; urina erat aquosa, alvoque per 30. horas caruerat, ægra quoque continuo delirans subinde lachrymabatur, & noctem egerat insomnem.

Vena sanguis mittebatur ad unc. VIII. brevi crusta tenui phlogistica tectus, ac enema emolliens injiciebatur, & præter decoctum N. 1. cum nitri dr. j. ß, ter eo die unc. j. Syr. diacod. assumpsit, unde sensim dolor & reliqua symptomata remiserunt, & noctem pacatam habuit. Mane erat animi compos, pulsus liber & major deprehendebatur, atque penitus desierat lateris dolor. Tussi aliquid mucosi ejiciebat, cutis erat mollis, humescens ac urina subrubra nubeculam fundum petentem gerebat.

Hunc diem ut & octavum sine mutatione transegit, & noctu somno plurium horarum sine paregorico refecta est, alvus quoque omni die adfuit levans.

Nono die ante meridiem respiratio facta est difficilior, ac sub tussi stertor in pectore audiebatur, sputa pauca admodum glutinosa ejiciebantur; pulsus erat inæqualis, mollis, debilis; lingua alba, humida tamen, oculi tristes, humidi; leniter sudabat, ac urina sedi-

mentum copiosum, mucosum deposuerat.

Applicata sunt suris bina vesicantia, ac cum priori decocto pulv. N. 15. usa est.

Noctu multum sudavit; parum dormivit, ac mane dum accessi, inveni totum collum, & pectus præcipue circa scrobiculum cordis miliaribus albis obsitum, sputa facilius prodibant, respiratio libera pleno thorace peragebatur; pulsus erat plenior, æqualior, oculi vividiores: post meridiem ultra bihorium tranquille dormivit.

Nox sat tranquilla fuit.

Undecimo die prostantibus pulcherrime miliaribus sputum paucum coctum facile ejecit ægra, ac alvum bis deposuit pultaceam, coctam.

Duodecimo die tussis rara erat, sputa pauca, respiratio bona; febris vix animadvertebatur; miliaria opacabantur, ægra facile sola in lecto sedebat; & decimo quinto morbi die desquamatis miliaribus nihil de morbo supererat, ac rogabat ægra, ut ipsi liceret extra lectum manere. Vigesima sexta ab initio morbi die ex nosocomio sanissima discessit.

Qui febre acuta simplici laborarunt

methodo mense præcedenti dicta facile curati sunt.

Binæ vero aliæ feminæ morbo exanthematico laborarunt.

Prima in morbum inciderat post comestam copiosam carnem suillam sale dudum conditam & exsiccatam. Eadem enim die anxia facta fuit, frequenti horripilatione correpta est, corpus grave factum, & præ calore vix noctu in lecto jacere potuit, sequenti die accessit capitis dolor, oris amaror, nausea.

Accersitus Medicus ilico sanguinis missionem jussit, & emeticum, quo se multum levatam fuisse ægra asserebat, præscripsit.

Pro medicamento usa est speciebus decocti pectoralis, & pulvere antispasmodico, donec 6. morbi die ad nostrum nosocomium deferretur.

Dum ipsam primo vidi, respiratio erat celeris, brevis, pulsus celer, inæqualis, sat magnus, alvo a biduo carebat, appetitus erat nullus, & sitis magna, urina prodibat fuscescens cum enæoremate copioso, suspenso, oculi erant tristes, & ægra soporosa vix per aliquot momenta se erectam in lecto sustinere poterat.

Data est ipsi mixtura N°. 12. ac

commendavi ut copiose potaret. Enema quoque injectum multa scybala dura eduxit.

Nox inquieta fuit.

Septimo morbi die minus soporosa erat, alvus liquida, flava sponte prodiit; urina subrubra nubeculam in fundo gerebat, respiratio profundior erat. Cæterum reliqua in eodem statu permanebant ac die præcedenti.

Noctu sat pacate variis intervallis per plures horas dormivit.

Octavus dies fere similis fuit septimo, ac nihil in medicamentis mutatum est. Cum tamen abdomen tensum esset, & alvus emaneret, circa vesperas enema injectum multis flatibus viam aperuit, & alvum bis movit semi-coctam.

Nox fuit minus tranquilla.

Nono die circa septimam matutinam valde anxia facta est; pulsus evasit parvus, mollis, subinde intermittens; sudabat, urina erat subfusca cum enæoremate crasso, subfusco, facies livescebat: oculi turbidi & tristes erant: ægra delirabat, difficilis erat linguæ usus. Bina suris vesicantia & unum nuchæ applicata sunt, ac loco mixt. N. 12. emulso N. 17. usa est, simul copiosus potus ipsi propinabatur.

Circa quintam pomeridianam videbatur respiratio paulo facilior, pulsus erat major, linguæ usus non tam difficilis.

Noctu tamen, licet ultra unc. j. Syr. diacod. vespere sumpserit, parum admodum dormivit, ac circa quintam matutinam omnia iterum in pejus ruerunt. Dum vero circa octavam accessi, ægram melius spirantem inveni ac die præcedenti, pulsus quoque major erat, & vesicantia optime operata erant. Ægra sat apte ad interrogata respondebat, magnamque sitim, licet crusta linguam tegens humesceret, conquerebatur.

Dedi simul cum emulso mixt. N. 14. ut uno bihorio unc. j. ß. ex hac sumeret, & altero bihorio solitam dosin emulsi.

Dies insomnis transactus est, noctu quoque parum dormivit, leni sudore maduit, ac alvum semel deposuit.

Undecimo die mane, inveni copiosa miliaria alba, collum & pectus obsidentia multaque hinc inde per abdomen dispersa, ægra mente sibi constabat, respiratio pleniore pectore ac minus celeriter peragebatur, pulsus erat æqualis, major; facies & oculi colore magis naturales.

Repetita est mixt. N. 14. & emulso claretum N. 8. substitui.

Ab hac die omnia sensim ita in melius mutata sunt, ut decima quarta morbi die, dum miliaria jam inciperent desquamari, pulsus naturalis esset, respiratio liberrima, appetitus bonus, alvus & urina naturales, & ægra sat diu in lecto sedere posset.

Continuavit tamen iisdem medicamentis uti ad diem morbi decimum septimum, quo vires ita increverant, ut posset extra lectum manere, rogaveritque ut major ipsi ciborum copia concederetur.

Post diem morbi vigesimum assumpta prius rhei. dr. j. carnes licuit concedere, ac die vigesimo sexto recusavit diutius inter ægros commorari.

Altera, quæ exanthematibus affecta fuit, femina erat 30. annorum, quæ licet sanguinei temperamenti esset, fluxum tamen sanguinis menstrui parcissimum semper habuerat. Hæc postquam per plures dies membra lassa vix trahere potuisset, 5. Augusti valde nauseavit, ac demum pluries sponte vomuit, & incepit febricitare: die hujus mensis 6. ad nosocomium delata est.

Pulsus erat plenus, mollis, celer,

reſpiratio paulo celerior naturali ; tempora ipſi admodum dolorifica erant ; lingua cruſta alba humida obducebatur ; oris magnus amaror ; nauſeæ continuæ & præcordiorum anxietas ægram valde torquebant ; cutis erat mollis , & urina rubedine pauliſper naturalem excedebat; inſtituebatur venæ ſectio , & data circa meridiem ypecacuanhæ dr. ß. quater vomitum excitavit , quo multa , glutinoſa , fœtida , ejecta ſunt magno cum præcordiorum levamine.

Pro medicamento habuit mixt. N. 19. ac veſpere aſſumpta unc. j. ſyr. diacod. noctem ſat tranquillam egit.

Sequenti die nihil mutatum inveni.

Quarto morbi die febris eadem erat , & licet reſpiratio vix impedita videretur, conquerebatur circa præcordia anxietatem & pondus , ac ſubinde tuſſicula ſicca vexabatur : cutis manebat mollis ; oris amaror diſparuerat , lingua ſicca erat , alvum ſponte liquidam depoſuerat ; in urina nulla mutatio facta erat.

Dedi tunc pro medicamento decoctum N. 1. , noctu non dormivit.

Quinto die , pulſus celeritas aucta eſt , reliqua vero eadem permanebant , ſubinde per diem levem ſomnum habuit , quem nox ſat tranquilla ſecuta eſt.

Sequentibus diebus ad decimam tertiam morbi diem uſque omnia in eodem fere ſtatu permanſerunt, nec tamen multum debilitari videbatur.

Verum decimo tertio morbi die obtuſum in artubus dolorem conqueſta eſt; capitis dolor auctus erat, & pulſus ſubinde inæqualis, reſpiratio minus profunda peragebatur, tuſſis ſicca ipſam ſæpius invadebat, ſitis major erat, ac lingua tenui cruſta, flava tegebatur, alvus omni die liquida aderat, urina rubra, cruda, & cutis ſicca erant.

Decocto N. 1. emulſ. N. 17. ſubſtitui, & ſyr. diacod. cochleare omni quartohorio ſumpſit, noctem tamen inſomnem tranſegit.

Decimo quarto morbi die reſpiratio parva, celeris, anxia erat, & pulſus debilis, inæqualis, facies & oculi triſtitiam exprimebant; ægra delirabat, urina fere naturalis erat, cutis mollis, lingua vero ſicca.

Suris applicata ſunt bina veſicantia, & noctu ultra bihorium dormivit.

Sequenti die mane pulſus magis elevatus, æqualior fuit, reſpiratio minus laborioſa.

Poſt meridiem aliquantulum ſudavit, ægra inquieta fuit, noctem in ſudore

moderato transegit, & 16. morbi dies fere eodem modo transacta fuit.

Decima septima morbi die hinc inde miliares pustulæ in collo & pectore conspiciebantur. Tussicula minus frequens erat, alvum semel deposuerat semicoctam, & urina nubeculam fundum petentem gerebat.

Pluries per diem sat pacate dormivit, noctemque sat quietam habuit.

Decimo octavo morbi die copiosis miliaribus parvis scatebant collum, pectus & brachia; pulsus erat æqualis, minus celer; respiratio libera; tussis nulla; anxietas disparuerat & delirium; lingua humescebat.

Emulso N. 17. claretum N. 8. substitui, quo usa est ægra usque ad diem morbi vigesimum tertium, quo & exanthemata disparuerunt & omnia ad statum naturalem redierunt: brevi vires recuperavit, & sanissima ad suos rediit undecima Septembris.

MENSIS SEPTEMBER.

Qui hoc mense acute decubuerunt, fere omnes febre continua remittente laborarunt.

Antequam febricitare inciperent per plures dies prostrato appetitu, & virium debilitatione affecti fuerunt; sæpius frigebant, succedenti calori adjungebatur anxietas, sitis magna, oris amaror, nausea; capite dolebant, & brevi, in aliquibus accedebat delirium; urina erat valde rubra sine enæoremate.

Secundo die febris erat lenior, & reliqua symptomata leviora.

Tertio die sine percepta refrigeratione febris exacerbabatur; quarto die cum leni sudore, non diu durante, iterum remissura.

His ægris, si statim ab initio non sumpserunt vomitorium secundo vel tertio morbi die alvus torminosa, fœtida, quater, quinquiesve nychthemeri spatio accidit, illos multum debilitans: quibus vero emeticum statim primo die datum est, hoc symptomate liberi manserunt.

Hinc cura emetico erat incipienda: dum tamen alvi fluxus jam aderat, nihil amplius proderat, imo alvus frequentior, & dolores majores in abdomine inde excitabantur.

Unico ex his ægris, qui pulsum valde plenum habebat, & feroci delirio afficiebatur, vena secta fuit; non autem reliquis cum pulsum nec durum, nec nimis plenum haberent.

Illis, qui alvo fluxa debilitante non laborarunt, optime profuit rob. N. 4. Illo enim remanens post vomitum oris amaror, & nausea, plerumque intra 24. horas disparuit, & sitis moderatior facta est. More tamen nobis in acutis solito copiose potare debuerunt.

Hoc medicamento usi sunt ad diem morbi quintum, donec tertia exacerbatio remitteret: fere quotidie alvum deposuerunt liquidam, semi-coctam; urina vero cruda mansit: omni die aliquoties somno unius, vel alterius horæ refecti sunt ægri, & excepto exacerbationis tempore, quo difficilius spirabant, & anxii erant, pectus sat liberum mansit.

Defervescente tertia exacerbatione quibusdam mixt. c. spir. sulphuris, aliis tantum claret. N. 9. exhibui.

Suasu enim perill. ac Magnifici Do-

mini *Storck* in febribus tertianis hanc mixturam.

℞. Aq. flor. rhæad. unc. ij.
 spir. sulph. percamp. dr. ß.
 syr. diacod. dr. vj.

ægris febri tertiana nullo alio symptomate stipata laborantibus aliquot horas ante futurum paroxysmum exhibueram uno haustu sumendam, ac plures hoc medicamento a febre liberati sunt. Aliquando binæ doses suffecerunt ad febrim penitus tollendam: quandoque etiam tertia dosis necessaria fuit.

Hac observatione ductus in hac febre continua remittente, cujus exacerbationes typum tertianæ servabant, cum nec magnæ obstructiones in corpore esse viderentur, experiri volui, quid spiritus sulphuris per camph. efficeret.

Inde factum est, ut exacerbatio die septima contingens in plerisque lenior quoad omnia symptomata fuerit. Bini vero tussi sat molesta in paroxysmo affecti sunt. Verum omisso spirit. sulph. decoct. N. 1. sumpserunt, unde tussis brevi sedabatur.

Quinta autem exacerbatio hos binos ita debilitavit, ut metus fuerit, ne alia accedens illos occideret: hinc præter decoctum N. 1. mixt. N. 14. ipsis exhibita

bita fuit, qua sequens paroxysmus multum lenitus, postea non amplius redivit.

Finita ergo sexta exacerbatione, quæ die 11. contigit, morbus erat febris acuta, simplex, quam ægri facile ferebant; cæterum in excretis nullum signum criseos apparebat: cutis tamen mollis erat; diutius dormiebant, & libero pectore respiratio peragebatur; pulsus erat mollis, sat æqualis, nec debilis.

Continuarunt ægri mixt. N. 14. uti ad diem 14. usque, in eodem fere statu permanentes.

Decimo quarto morbi die ambo copiose per plures horas sudarunt, unde unus perfecte apyretos factus est; alter vero multo minus febricitavit, & simul urinam misit, quæ brevi sedimentum album, copiosum, leve deposuit.

Loco mixt. N. 14. sola mixt. N. 12. usus est, appetebat, nulla sitis aderat, optime dormiebat, & circa 17. morbi diem oborto leni sudore, depositaque pluries alvo copiosa cocta integre judicatus est.

Qui spir. sulph. ferre potuerunt, leviores paroxysmos experti sunt. Sed quia ob recurrentes exacerbationes sensim debiliores fiebant, mixt. N. 14. illis exhi-

bui, quæ sequentem paroxysmum omnino præcavit.

Circa duodecimum morbi diem, ut & 13. sæpius sudarunt, ægri cum levamine tanto, ut 14. pulsus tantum paulo majori celeritate peccaret. Quoad reliqua symptomata bene habuerunt ægri, & 15. morbi die nullum febris indicium adfuit.

Omnes hi ægri sat cito vires recuperarunt.

Qui omisso in initio morbi emetico ad nosocomium deferebantur, jam alvo fœtida, frequenti, torminosa laborantes majus negotium nobis facesserunt.

Unus tertio morbi die hoc modo affectus allatus, alii vero duo die quarto: verum omnes iisdem fere symptomatibus afficiebantur.

Respiratio erat celeris, pulsus celer, inæqualis; vires debiles, continuo delirabant; vix per horæ quadrantem dormire poterant, licet in somnum propenderent, visus erat debilis, lingua nigra, sicca; sitis insatiabilis, & appetitus omnino prostratus; cutis sicca, aspera.

Dedi illis clar. N. 8. cui addebatur mucilag. gum. trag. dr. iij. & emulsum

N. 5. alternis vicibus sumenda, ac simul bis de die enema ex solo oleo lini injectum est.

Hac methodo ille, qui tertio morbi die advenerat, intra 24. horas a diarrhæa liberatus fuit. Ast accedentem die 5. exacerbationem valde difficulter tulit. Videbatur enim omni momento suffocandus, & pulsus inæqualis sæpe intermittebat.

Alii duo, quibus diarrhæa integre nondum potuerat sisti, præterquam quod pessimam respirationem, & pulsum valde malum haberent, simul subsultibus tendinum adficiebantur.

Omnibus vesicantia ad suras applicata sunt, ac pro medicamento data est binis ultimis mixt. N. 14. cui laudan. liq. syd. gtt. xxx. addebantur, & emulsum N. 17. alternis vicibus omnis sesqui hora sumenda, alter vero sola mixt. N. 14. usus est.

Exacerbatio ultra 8. horas in suo vigore permansit, antequam remitteret, & ægri parum admodum noctu dormierunt; nullus tamen noctu amplius purgatus est.

Sexto die morbi ablata sunt vesicantia, quæ in omnibus optime operata erant; bini minus delirabant, respira-

tionem majorem, & liberiorem habebant, pulſus major erat, non intermittens, ac affatim decoct. hordei hauriebant, & unus illorum, qui antea tempore paroxyſmi tendinum ſubſultibus vexatus fuerat, ab his quoque liber deprehendebatur, cutis tamen manebat in omnibus ſicca, & in urina ſubfuſca enæorema ejuſdem coloris diſperſum erat.

Tertius ſublime ſpirabat, pulſum debilem, parvum, inæqualem habebat, urinam in lectum dimittebat, & omnino ſui ignarus potum, & medicamenta, quæ ipſi ingerebantur, vix deglutiebat, ac manus continuo tremore agitabantur.

Huic terna veſicantia unum ad nucham, altera ad brachia applicata ſunt, omiſſum eſt laudanum, quod mixt. N. 14. ob alvum ſymptomaticam additum erat.

Sub veſperam pulſus paulo major, & fortior factus eſt, ac ultra horam dormivit, multo melius ſpirans, ſubſultu tamen tendinum etiam in ſomno afficiebatur. Noctu alvum adhuc in lectum dimiſit, & aliquoties per breve temporis ſpatium ſomno captus eſt.

Septimo morbi die potum, & medi-

camenta melius assumebat, respiratio paulo profundior peragebatur, & pulsus erat major, minus inæqualis, vesicantia in magnas bullas cutim elevarant sero plenas.

In eodem statu fere toto die permansit æger, donec vespere inceperit tumere parotis dextra; nox valde mala fuit.

Sequenti die mane dum accessi, æger nec minimum deglutire poterat, inspectæ fauces, imo ipsa lingua, tumidæ admodum erant, livescebant.

Parotis ad pugni magnitudinem elevata, erat, oculi lachrymosi, respiratio sublimis, celeris, & pulsus frequenter intermittens, ac æger supine jacebat immobilis, factæ sunt injectiones ex antiseptis, abstergentibus in fauces, cataplasma emolliens parotidi applicatum est, ac circum collum emplastrum vesicans.

Ob magnam debilitatem enemata purgantia dare non ausi sumus, enema tamen emolliens injectum est, quo bis alvum habuit; verum nihil juvit, & circa meridiem suffocatus periit.

Alii duo noctem sexti diei ad septimum sat bene transegerunt, per plures

enim horas placide dormierunt, & mane aberat delirium, pulſus videbatur minus debilis, reſpiratio erat ſat libera, lingua humeſcebat, & cutis minus aſpera deprehendebatur, ambo alvum depoſuerunt fuſceſcentem, pultaceam.

Unus circa decimam matutinam, alter poſt meridiem incepit pejus habere, lene delirium iterum acceſſit, reſpiratio evaſit laborioſior, & pulſus debilis, celerior, per vices intermittebat: hæc autem per tres, vel quatuor horas tantum durarunt, quibus elapſis ægri in ſomnum brevem inciderunt, & toto corpore ultra horam leniter ſudarunt, unde ſe quoad omnia levatos perceperunt, & noctu quoque per intervalla dormierunt.

Die octavo pulſus adhuc celer erat, verum nulla intermiſſio, & vix aliqua inæqualitas in illo percipi poterat, reſpiratio libera erat, & urina naturalem imitabatur, cutis continuo humeſcebat. Nulla amplius exacerbatio acceſſit, ſed ſudore ſenſim magis levati ſunt ægri, alvum quotidie coctam dimiſerunt, levia alimenta libenter aſſumebant, ſitis non erat magna, ac ſæpius diu, noctuque ſomno reficiebantur.

Decimo quarto morbi die penitus desiit febris.

Erant autem valde emaciati, & vires adhuc tam parvæ erant, ut se soli extra lectum sustinere nequirent. Hinc præter juscula, & alia levia alimenta uterque lactis lib. j. ß. cum anatica decoct. hord. quantitate quotidie hauriendam acceperunt, ac cort. peruv. unc. ß. omni die continuarunt ad diem morbi 24, assumere. Tunc, cum in cubiculo facile deambularent rhei dr. j. assumpserunt, unde aliquoties purgati carnibus tenerioribus vesci potuerunt, & brevi post ex nosocomio discessere.

MENSIS OCTOBER.

MULTI quoque hoc mense febre continua remittente laborarunt, quidam omni die exacerbationes patiebantur, alii vero omni altero die.

Quidam etiam ante augmentum caloris perfrigerabantur, alii minime.

Qui quotidianas exacerbationes habebant, tussi sicca, non frequenti, respiratione celeri, difficili afficiebantur, pulsus erat celer, subdurus, lingua ari-

da, sitis magna, appetitus nullus, cutis sicca.

Sub exacerbatione, quæ plerumque per 5, vel 6. horas durabat, fiebant anxii, tussis sicca valde frequens erat, & defatigans, & de dolore in variis pectoris partibus conquerebantur, caput illis valde dolebat, facies rubore tingebatur, & oculi flavescebant; pulsus celeritatem, & duritiem majorem habebat, & illi, quibus ante exacerbationem sanguis non fuerat eductus, tempore paroxysmi delirabant.

Hinc fere omnibus tunc hoc modo affectis sanguis e vena eductus est sat magna quantitate, diversus in diversis subjectis: in multis enim crustam phlogisticam habebat, in aliis sanguis erat optimi coloris, siccus tamen, & paucam admodum aquam dimittens.

Optime omnibus conducebant medicamenta solventia, antiphlogistica, & lenia paregorica ad tussim leniendam.

Quarto die plures urinam miserunt, quæ brevi sedimentum album, leve deposuit, & in his exacerbationes sequentes minus graves fuerunt, pulsus mollis, respiratio facilior, minus dolens fuit, alvus omni die semel liquida, cutis humida facta est, capitis tamen

dolor gravis, & sitis magna, pondus in ventriculo conquerebantur.

Hoc viso sal. polychr. dr. j. simul cum decoct. N. 1. omni die exhibita fuit.

In eodem fere statu manserunt ad diem septimum usque, quo alvo frequenti, pultacea, flava a febre continua liberati sunt omnes, imo bini nullum amplius febris intermittentis paroxysmum passi sunt, & brevi vires integras recuperarunt.

Sed reliquos omni die per quinque, vel sex horas sat validus paroxysmus occupabat, cum tamen præter febrim nullum malum symptoma adesset, de ea tollenda non multum fui sollicitus, & pro medicamento solam conserv. N. 25. assumpserunt.

Hoc modo intra aliquot dies in aliquibus febris sponte desiit: ubi autem ultra 12. diem protracta non minuebatur, vel validior fiebat, mixt. N. 14. illis data est, qua febris facile fugabatur, & ægri solis postea alimentis aptis refecti sunt.

Quibus quarto die urina rubra sine sedimento fuit, in iis morbus valde increvit, pulsus durior, contractus, inæqualis factus est, respiratio celeris, anxia;

tussicula sicca, & capitis dolor præcipue exacerbationis tempore ægros acerbissime afficiebat.

His hoc die sanguis iterato educi debuit, qui brevi crusta inflammatoria tenaci, non tamen adeo densa tegebatur: pro medicamentis præter decoctum N. I. cui addita era nitri dr. j. ß, emulsum N. 3. sumpserunt, simulque ad alvum, quæ emanebat, ciendam enema injectum est.

His adhibitis levamen habuerunt quoad omnia symptomata, & aliqui sat pacatum somnum post enematis operationem habuerunt: nox quoque sequens sat tranquilla fuit.

Dies quintus sat bonus fuit, exacerbatio multo lenior fuit, quam die præcedenti, & extra eam respiratio non erat valde impedita; pulsus sat plenus, liber; tussis rarior, sicca tamen permanens, dolor capitis, & oculorum minor; in urina nubecula ad fundum cadens conspiciebatur.

Iis, quibus alvus sponte non secessit, denuo enema injici curavi.

Manserunt ægri in eodem fere statu iisdem medicamentis utentes ad finem octavi diei, vel initium noni, quo oborto copioso sudore, & prodeunte

urina brevi sedimentum copiosum album deponente admodum levati sunt.

Posthac enim respiratio libera, tussis nulla, & pulsus licet celer admodum tamen liber erat: capitis gravitas disparuerat, oculi fere naturalem colorem habebant, lingua minus sicca erat, ac vix postea exacerbationes passi sunt.

Solum tunc decoctum N. 1. sine nitro datum est, subinde interpolata dosi emuls. N. 2. & ægri morbum facile tulerunt, cutis humida mansit, & alvus fere quotidie sponte adfuit, noctu pacate dormierunt.

Circa decimum quartum morbi diem sudarunt iterum per totum corpus, & si simul alvum pluries habuerunt, penitus judicati sunt.

Unicus sudavit sine ulla facta per alvum evacuatione, & hic post sudorem debilior factus est, pulsus parvus inæqualis fuit, accessit dolor capitis, obtusus, & oculi tumebant, manibus tremebat, respiratio tamen non multum læsa, & lingua humida erat. Exacerbatio cujus à nono die vix signum adfuerat, prægresso per quadrantem horæ frigore ægrum ultra sex horas valde anxium reddidit, durante quoque exa-

cerbatione pulſus valde celer, & inæqualis erat, ac æger delirabat.

Finivit paroxyſmum paucus ſudor, poſt quem æger mentis compos factus eſt, & facile ſpiravit: verum pulſus manſit malus, & vires valde collapſæ erant.

Data eſt ægro mixt. in qua extract. cort. peruv. dr. v. ſolutæ erant, ut eam diviſis doſibus ante decimam matutinam decimi quinti diei abſumeret, & bina veſicantia ſuris applicata ſunt: laudan. quoque liq. ſyd. gtt. xij. ad ſomnum, quem capere non poterat, conciliandum, veſpere ipſi datæ ſunt: nox tamen inquieta fuit.

Decimo quinto die licet veſicantia optime operata eſſent, & pulſus magis elevatus, æger videbatur æque debilis: alvum tamen ſponte depoſuerat: & urina omni dote naturalem imitabatur.

Frigus circa decimam non redivit, & toto die vix mutatio in ægro animadverſa eſt.

Sumpſit tunc emulſ. N. 17. & mixt. N. 14. alternatim omni bihorio, & bina alia veſicantia brachiis applicata ſunt: veſpere laud. liq. ſyd. gtt. xv.

ipsi datæ sunt : unde noctu per plures horas dormivit.

Decimo sexto die mane pulsus erat paulo major, & urina iterum naturalis. Post meridiem accessit anxietas, & celerius spirabat, subinde tussitabat, delirando lachrymabatur, & vix ad interrogata respondens in dorsum immobilis decumbebat; cutis erat sicca, iisdem tamen perrexit medicamentis uti, & noctem insomnis transegit, leni sudore perfusus.

Decima septima morbi die, dum ægrum invisi, illum inveni miliaribus albis pulcherrime pellucentibus, non modo pectus, sed etiam abdomen occupantibus copiosis scatentem; tremor manuum aberat, mente optime valebat, ac de debilitate tantum conquerebatur: pulsus erat liber, æqualis, vix febrilis, respiratio bona, tussis nulla, oculi erant vivaces, sitis pauca, & æger juscula, & similia levia alimenta libenter sumebat.

Continuavit mixt. N. 14. uti & loco emulf. N. 17. clareto N. 8. usus est; æger sine paregorico noctes tranquillas habuit, & 23 morbi die, qua miliaria nullo amplius superstite morbi vestigio desquamata erant, omni me-

dicamento abſtinuit, ac 34 ab initio morbi die viribus valens ad ſuos rediit.

Quibus vero febris lenior facta eſt ſecundo morbi die, & tertio die poſt horripilationem exacerbata fuit, ii non tuſſiebant, verum continuo nauſeabant, os amarum conquerebantur, lingua cruſta tenui, fuſca tegebatur, & valde ſitiebant: verum potus, ſicut & alimenta ipſis amara videbantur: alvus ſine enemate primis diebus non ſecedebat; urina erat rubra, in aliis nubeculam ſuſpenſam gerens, in aliis enæoremate carens, pulſus erat ſubinde inæqualis, celer, reſpiratio ſat bona, dolor vero capitis continuus.

Tempore exacerbationis reſpiratio erat difficilior, celerior, & reliqua omnia pejora fiebant, imo delirabant: exacerbatio autem ultra 12. horas durabat, qua finiente ægri ſenſim mentis compotes fiebant, & reſpiratio, & pulſus meliores.

Qui emeticum ſtatim initio morbi aſſumpſerant, vix capite dolebant, & brevi poſt nauſea, & oris amaror diſparebant, ac ſequens exacerbatio præcedentem vehementia ſymptomatum non ſuperabat.

Illis vero, quibus emeticum non

datum est, vel qui recusarunt illud assumere, exacerbationes diuturnitate, symptomatum vehementia semper increverunt, quorum tempore valde delirabant, continuis vomendi conatibus defatigabantur, ac valde inquieti jacebant.

Quocunque tamen die datum emeticum semper profuit, hinc ubi ægros hoc modo affectos vidi, prima cura fuit, ut quamprimum fieri posset ypecacuanhæ dr. ß sumerent. Unde pluries vomuerunt varia indigesta, glutine tenaci varii coloris intermixta.

Peracta vomitione lene paregoricum exhibebatur.

Omnibus profuit post vomitum mixt. N. 14. quæ cum copioso decocti hordei, & bardanæ oxymelle simplici mixti potu brevi omnem amarorem, & nauseam sustulit. Quibusdam etiam loco hujus mixturæ datum est rob. N. 4. Et alvus, dum sponte non cessit, & abdomen tensum deprehendebatur, enemate omni altero die sollicitata est.

His medicamentis utentes ægri 4 primas exacerbationes bene tulerunt; verum post quartam urina, quæ semper sat bona fuerat, fiebat fusca, & brevi enæorema crassum sublime in illa cons-

piciebatur, pulsus fiebat multo debilior, mollis, inæqualis, ac vires multum collabebantur, & tristes fiebant ægri.

Omnibus bene perpensis nihil contra indicans cortici inveni, ac illis ideo mixt. N. 14 exhibui, qua utentes ægri post morbi diem undecimum ab omni exacerbatione liberi fuerunt, & circa decimum quartum morbi diem sudore copioso oborto, ac ultra 24 horas sæpius repetente penitus judicati sunt.

Continuarunt tamen usque ad diem vigesimum mediam dosim prioris mixt. assumere, ac postea aptis alimentis brevi vires recuperarunt. Unus, qui diutius corticem assumere recusaverat, die vegisimo primo morbi febre intermittente tertiana correptus est.

MENSIS NOVEMBER.

FERE iidem morbi observati sunt, ac mense præcedenti, & methodo eadem fere omnes curati sunt.

MENSIS DECEMBER.

NON multi hoc menſe acute in noſocomio decubuerunt; adfuere tamen ſeptem, qui graviter affecti fuerunt.

Hi ægri per plures dies, antequam in morbum inciderent, laſſitudine ſpontanea, appetitu deleto laborarunt, & noctes inquietas habuerunt. Hæc ſymptomata excepit frigus, tremor, quæ capitis dolor, & anxietas comitabatur; ſucceſſit demum calor urens. Sex initio morbi, nempe ſecundo, vel tertio die ad noſocomium allati ſunt, alter ſerius, de quo poſtea.

Hi ſex, qui ſtatim ad nos delati ſunt, habebant calorem magnum, pulſum parvum debilem, & inæqualem, reſpirationem tantum naturali paulo celeriorem, linguam cruſta tenui, nigra obductam, aridam, ſitim magnam, appetitum nullum, cutim ſiccam, oculos triſtes, urina erat flammea, quibuſdam alvus bis, ter de die ſponte deponebatur fœtidiſſima; omnes ad omnia indifferentes, & debiliſſimi vix ad interrogata reſpondebant. Statim ab initio

claretum N. 8. & mixt. N. 14. alternis horis ſumenda ipſis præſcripſi.

Nihilominus his medicamentis ſive ſecundo, ſive tertio die inceperint uti, permanſerunt fere in eodem ſtatu ad diem morbi ſextum, quo continuo quaſi ſopore ſepulti videbantur; potus, & medicamenta non niſi magno cum labore ipſis ingerebantur; ſed & alvum tunc in lectum fœtentem admodum dimittebant, & urina admonitis ægris in vitrum quandoque miſſa, ex flammea in ſubfuſcam, enæorema craſſum, fundum petens, gerentem mutabatur; reliqua omnia ſymptomata manebant eadem, & oculi liveſcebant. Suris, ac nuchæ veſicantia applicata ſunt, & ſequenti die ſopor in quibuſdam minor, & oculi clariores erant, ac oblata quæque melius aſſumebant. In aliis vero nulla mutatio. Dedi tum loco clareti emulſum N. 17. cum mixt. N. 14. quibus effectum eſt, ut palſus æqualior; paulo major fieret, & oculi decimo die nitorem fere naturalem haberent; manebat tamen in ſomnum propenſio.

Die undecimo circa veſperam bini inceperunt tuſſitare.

Tertius ſine tuſſi magis anxius erat.

Quartus vero incepit ſubito ronchos

edere, & die duodecimo mane mortuus est.

Bini alii in eodem statu permanserunt.

Illis, quibus tussis molesta erat præter dicta medicamenta, syr. diacod. & althææ aa. partes æquales dedi, ut subinde parvum cochlear sumerent. Illi vero, qui anxietate sine tussi premebatur, duo vesicantia brachiis applicata sunt, in aliis nihil mutavi.

De nocte tres priores parum sudarunt, & urina in omnibus fere naturalis coloris erat, tussis, & anxietas fere eadem: noctem tamen sequentem somnus aliquot horarum sat pacatam reddidit.

Decimo tertio die cum prioribus symptomatibus luctabantur, donec circa initium decimi quarti in binis tussientibus petechiæ rubræ, in altero autem miliaria alba in collo, & pectore cum omnium symptomatum levamine eruperint: etenim tussis rara erat, anxietas multum imminuta, pulsus major, æqualis, lingua humida, oculi clariores & ægri minus soporosi ad interrogata apte respondebant.

Loco emulsi N. 17. dedi claretum

N. 8. & mixturam N. 14. continuarunt ſumere.

Qui miliaria habebat, alvum depoſuit ſat copioſam, coctam: bini vero, quibus erant petechiæ, nullam dejectionem per alvum habuerunt, nec tamen aliquid incommodi inde exurgebat, abdomen enim erat molle, minime tenſum.

Decimo ſeptimo petechiæ jam flaveſcentes incipiebant diſparere, ac ſimul cum illis febris, & reliqua ſymptomata minuebantur, & vigeſima die de omnibus his nihil omnino ſupererat.

Ille autem, qui miliaribus laborabat, decimo ſeptimo mane magis febricitabat, & nova miliaria prioribus jam ſicceſcentibus proruperunt, incepit quoque tuſſire, & ſputa tenacia difficulter ejicere: tum claret. N. 8. cui addita erat mucilag. gum. trag. unc. ß, & pulv. N. 15. exhibui.

Noctu dormivit quidem, ſed tantum per intervalla, nam tuſſis ſæpius a ſomno excitabatur, & ſputa copioſa tunc facilius, quam de die prodeuntia ejiciebat cum quodam levamine.

Poſtea nulla amplius facta mutatio, ad vigeſimam morbi diem uſque, qua tuſſis rariſſima evaſit, & ſputis ſemper

prodeuntibus glutinoſis, & paucis, miliaria in ſquamas abibant, reliquis omnibus ſymptomatis integre diſparentibus.

Vigeſimo quarto nihil quidem de morbo ſupererat, ſed æger, qui antea toroſus, nunc debilitatus, & multum emaciatus erat.

Abſtinuit tunc omni medicamento, & lac cum potu ordinario, ac juſculum cum cremore hordei quater, vel quinquies de die ſumpſit, quibus intra quinque dies ita refectus eſt, ut ſurgere, & ſat diu extra lectum manere potuerit & 32. ab initio morbi die, cum viribus utcumque valeret, aſſumpta dr. j. rhei aliquoties purgatus eſt, unde appetitus ita excitatus, ut ſequenti die parum carnis cum aliis levioribus alimentis ipſi concedi debuerit: poſtea, aucta ſenſim alimentorum copia, prius robur acquiſivit, & quadrageſima ab initio morbi die ex noſocomio diſceſſit.

Qui autem petechiis laborarant, brevi vires recuperavere, & citius noſocomio vale dixerunt. Bini vero alii, quibus nec petechiæ, nec miliaria prorupe-runt, decimo quarto die magis ſoporoſi facti ſunt, & oculos triſtiſſimos vix aliquando aperientes nullum verbum proferebant: habebant auditum graviſſi-

mum, & alvum valde fœtidam continuabant in lectum dimittere, os non nisi magno custodis molimine aperiebant, dum vero illud semel aperuerant, quæcunque celeriter deglutiebant.

His duo vesicantia eodem die brachiis applicata sunt, & prioribus medicamentis continuarunt uti.

De nocte inquieti fuerunt, se hinc inde continuo jactitarunt: attamen circa quartam matutinam unus ultra horam dormivit, & evigilans audiebat, loquebatur, & potum, ac medicamenta avide assumebat, pulsus erat plenior, liberior, sopor evanuerat, & alvum tota nocte non deposuerat.

Alter qui non dormiverat, etiam audiebat, sed difficulter ad interrogata respondebat, & licet animi compos esset, alvus pluries in lectum effluxerat: pulsus celer, inæqualis erat, cum manuum tremore, & magna debilitate.

Datæ sunt ipsi laudan. liq. syd. gtt. xv. absque effectu: claretum vero, cui mucilag. gum. tragant. dr. iij. & boli armen. unc. ß, laudan. liq. syd. gtt. xxx. addebantur, de quo omni bihorio unc. j. sumpsit cum interpolata subinde dosi emulsi camph. adeo profuit, ut nocte sequenti somno plurium

horarum captus non dimiserit alvum in lectum, & semel tantum in excipulum deposuerit, ac hæc erat spissior, minus fœtens.

Die decimo sexto pulsus erat æqualior, minus debilis, respiratio sat bona, ac alvus pultacea flavescens, & urina circa meridiem missa, post quatuor horas sedimentum copiosum, glutinosum, album deponebat: nox fuit tranquilla.

Decimo septimo mane totum corpus sudore madebat; in urina noctu missa enæorema fundum petens, tertiamque vasis partem occupans conspiciebatur, respiratio optima, lingua humida, pulsus major, mollis, undulosus, & oculi colore naturales erant.

Solo tunc clareto N. 8. usus est, & decimo octavo, ac decimo nono morbi die pluries adhuc sudavit, noctes tranquillas habuit, ac vigesimo die nihil amplius de morbo superfuit, & viribus postea sensim bona diæta intra duodecim dies restitutis sanus ad suos rediit.

Alter vero, qui die 15. levamen habuerat, sine ulla sensibili evacuatione facta die 17. a morbo liber fuit, & citius nosocomio exivit.

Septimus dum ad nos deferebatur, jam petechiis copiosissimis, aliis rubris,

aliis etiam livescentibus, affectus erat; habebat pulsum rythmo, & tempore inæqualem, non tamen debilem, magnam sitim, linguam siccam, tremulam cum continuo delirio, & dolore totius corporis. Sequens medicamentum datum est:

R. Aq. decocti hord. libr. j.
Spirit. Sulph. per camp. dr. j.
Syr. althææ unc. j. ß.
M. S. omni trihorio duo cochleria sumat.

Quamdiu antea ægrotaverit, scire non potui, sed secundo die, ex quo erat in nosocomio, prorumpebant miliaria alba, quibus sequenti die disparentibus, ægrotantis vires vehementer dejiciebantur, lingua fiebat magis sicca, nigra, sordida; sitis major, pulsus celerior, debiliorque, & his subinde tussis sicca sese adjungebat.

Cum præcedenti mixturam datum est emulsum N. 17.

Quarto die miliaria confertissima iterum prostabant, atque tussis strepens orta est. Tunc vero claretum, & pulv. N. 15. ipsi data sunt; sensim tamen increscebant symptomata, & die sexta copiosissimis miliaribus, simul cum petechiis prostantibus, respiratio celeris, inæqualis,

inæqualis, pulſus plane inordinatus evaſit.

Duo veſicantia tunc ſuris applicata ſunt.

Manſit in eodem ſtatu ad undecimum uſque diem, miliaria ſenſim in veſiculas admodum magnas attollebantur, alvus quotidie liquida, cruda egerebatur.

Undecimo die omnes petechiæ, & miliaria pro maxima parte diſparuerunt: mox reſpiratio facta eſt anheloſa, facies ruberrima cum loquelæ defectu, & delirium increvit; duo veſicantia denuo applicata ſunt.

Decimo tertio numeroſiſſima iterum miliaria proſtabant: reſpiratio erat facilior, delirium minus, pulſus magis elevatus, conſtantior.

Verum ſequenti nocte novies purgatus fuit, & omnino miliaria diſparuerunt.

Tum reſpiratio iterum anheloſa, dolorifica, pulſus inordinatus, celerior evaſit cum delirio majori, & ſumma anxietate, ſiti magna; & lingua cruſta, nigra, admodum craſſa obducebatur; verbo, omnia ſymptomata magis intendebantur.

Clareto, cui mucilag. gum. trag. unc. ß & laudan. liq. ſyd. ſer. j. addi-

deram alternatim cum emulſo N. 17. uſus eſt, ac duo veſicantia femoribus applicata ſunt.

Decimo quarto die quater adhuc purgatus eſt: ſequenti nocte, quæ fuit inquietiſſima, ſexies vomuit, nihil tamen in illa materia rejecta conſpiciebatur præter medicamenta: & mane dum acceſſi, toto corpore miliaribus confertiſſimis rurſus ſcatebat, atque tunc reſpiratio facilior, delirium multo minus; facillime loquebatur, pulſus plenior, non adeo febrilis; ſitis non magna erat, nec facies adeo rubra: ſolo tunc clareto uſus eſt.

Sequenti die lingua mundabatur, delirium aderat nullum, bene dormiverat, & decimo ſeptimo miliaria incipiebant deſquamari, nihilque conquerebatur æger. Sumpſit adhuc per aliquot dies claretum, & vigeſimo tertio, quo apud nos decumbebat, die, e lecto ſurrexit, & 36. noſocomio exivit bene valens.

MENSIS JANUARIUS.

PLEURITIS hoc menſe frequentior fuit, quam quicunque alius morbus acutus; verum ad hujus curationem nihil peculiare requirebatur, & methodo antea menſe Auguſto dicta fere omnes evaſerunt.

Una tantum fuit femina, quæ aliter curari debuit.

Hæc adminiſtratis venæ ſectionibus, & medicamentis antiphlogiſticis die quarto multum levari videbatur. Etenim dolor lateris multo minor, reſpiratio facilior, pulſus liberior erat. Urina ſedimentum album leve depoſuerat, & per plures horas noctu dormiverat, ita ut omnia fauſta ſperarem.

Die quinto in eodem ſtatu permanſit. Verum die ſexto præter omnem expectationem ejus facies horrendum in modum tumore duro, rubro, renitente occupabatur, & labiis eodem modo tumentibus vix ipſi liquida ingeri poterant, oculique ſub tanto tumore ita reconditi erant, ut ne digitis quidem

aperiri potuissent, pulsus erat magnus, febris vehemens, respiratio cita, profunda, & ægra pedibus, manibusque ob nimium calorem lecti levia tegumenta removebat.

Sanguis tunc ex brachio detractus brevi in pellem coriaceam, densam concrevit, & alvus enemate bis sollicitata fuit.

Pro medicamento sumpsit decoct. tamarindorum: & externe applicabantur lintea quadruplicata fomento ex floribus sambuci parato, intincta, sæpius renovata.

Post meridiem facies paulisper concidit, labia facilius aperiebantur, febris minor, & respiratio aliquantulum melior erat.

Noctu pluries alvum egessit, & parum dormivit.

Die septimo mane faciei tumor ita conciderat, ut jam oculos aperire posset; tantum in genarum parte inferiore, & sub maxilla in utraque parte renitentia, & dolor permanebant; respiratio bona, lingua humida, cutis mollis, febris admodum moderata erat, & vespere assumpta syr. diacod. unc. j. noctem sequentem habuit pacatam.

Die octavo adhuc paulisper febrici-

tabat, & tumor fere totus conciderat: hinc ſolo decocto N. 1. uſa eſt.

Nocte ſequenti bene dormivit, & die nono febris deſierat, ac tumor maxima parte diſparuerat, pars tantum ſupererat tumoris, ab angulo maxillæ dextræ ad mentum uſque continuata, duriſſima, maxillæ adhærens, & vix dolens.

Applicata ſunt fomenta ſolventia per ſex dies ſine ulla mutatione; verum datis bis de die pilull. N. 11. gr. iv. extracti cicutæ, & emplaſtro ejuſdem nominis externe applicato intra decem dies tumor penitus fuſus diſparuit: & ægra, quæ ſub uſu cicutæ cum bonis alimentis vires refecerat, paucis poſt diebus ad ſuos redivit.

Lata veſicantia pectoris loco dolenti applicata, multos quoque hoc menſe ex orci faucibus eripuerunt.

Dum hæc ferre nolebant ægri, rubefaciens ex fermento panis, & ſeminibus ſinapi, cui quandoque pulvis cantharidum pro ratione neceſſitatis inſpergebatur, eodem cum effectu applicatum fuit.

Femina 36. annos nata ſexto morbi die, ut aiebat, ad nos delata eſt: hæc habebat reſpirationem brevem, cele-

rem, & magnam pectoris anxietatem; appetitus deletus erat, vires debiles, pulſus mollis, non valde celer, ſitis non multa.

Datum eſt ipſi ſolum decoctum N. 1.

Per quatuor dies in hoc ſtatu fuit: die undecimo autem prorumpebant miliaria alba, parva, quæ die ſequenti copioſiſſima fuerunt: hæc tamen nullum levamen attulerunt: atque perſtiterunt ad 18. morbi diem ſine ulla ſymptomatum mutatione.

Decimo nono autem omnia miliaria diſparuerunt, & ægram in magnum ſoporem, cum majori ſpirandi difficultate, & anxietate conjecerunt: pulſus erat debilior, & celerior.

Dedi tunc emulſum N. 17. & decoct. N. 1.

Vigeſimo ſecundo morbi die nova miliaria numeroſiſſima prorupere: reſpiratio quamquam melior, multum tamen adhuc impedita erat; pulſus vero liberior, & fortior; ſopor fere penitus diſparuerat, anxietas fere eadem remanſit.

Vigeſimo quarto miliaria denuo diſparuerunt pro maxima parte, & hæc diarrhæa excepit, quæ initio videbatur

levamen afferre. Verum ſpes, quam ex hac evacuatione conceperam, brevi excidebat: nam ſequenti die vires dejiciebantur magis, reſpiratio laborioſa, & pulſus debilior erat cum majori ſiti, urina admodum rubra.

Cum emulſione N. 17. decoctum N. 8. exhibui, quo id obtinui, ut nocte ſequenti tantum bis purgata fuerit, & die vigeſimo ſexto duo veſicantia ſuris applicata ſunt.

Eodem die ad veſperam iterum incœperunt miliaria prorumpere, & die ſequenti copioſiſſima proſtabant: urina erat naturalis, ægrotaque tunc erat ſine ullo ſopore, reſpiratio fere naturalis, pulſus adhuc parum febrilis, ſed plenior; diſparuerat anxietas, & ſitis, & placidiſſime interdum dormiebat.

Poſt quatuor dies hæc miliaria in ſquamas abiverunt, nihilque de morbo ſuperfuit, & decem poſtea diebus elapſis ſaniſſima diſceſſit.

MENSIS FEBRUARIUS.

Binos tantum hoc menſe pleuriticos habuimus, & hi facile curati ſunt.

Adfuere autem octo alii, qui tussicula molesta torquebantur; præter spumam nil ejicere poterant; febricula in omnibus præsens, vespertino tempore augebatur; noctes erant inquietæ, cum continuo capitis dolore obtuso; & alimenta, licet appetitus utcunque vigeret, intendebant febrem, & ægros anxios reddebant, quocunque tempore assumerentur: alvus erat tarda.

Hos ægros decoctum emolliens magis anxios reddidit, nec tussim lenivit: infusa quoque ex herbis pectoralibus nullum levamen attulere.

Optime autem conducebat purgans N. 9. quo magna glutinis tenacis copia alvo educebatur.

Inde enim tussis minus frequens fiebat, anxietas minuebatur, & ægri facilius ferebant alimenta, febris tamen eodem modo pergebat.

Post purgationem conserv. N. 25. vel decoctum N. 19. sine spiritu exhibebatur. Sub his alvus quotidie bis, vel ter exonerabatur tanto cum levamine, ut vix ultra quatuor dies ab assumpto purgante tussicula duraverit; imo die nono sex ex illis à febre penitus liberi erant.

Binæ autem feminæ, eodem modo

affectæ, licet a methodo dicta levamen habuerint, non tamen penitus convaluerunt.

Una ex his, cum sibi melius esse perciperet, nobis insciis domum rediit; verum elapsis quatuor diebus ad nos iterum deferebatur.

Habebat faciem tunc colore ex flavo viridescenti tinctam; adnatæ oculorum livescebant; artus superiores continuo tremore agitabantur, omnibus artubus, ac lumbis, & capite dolebat; respiratio erat celeris, frequens, pulsus parvus, celer, magna sitis, appetitus nullus: alvus liquida, fœtida, & totius corporis debilitas.

In hoc statu dedi ipsi emulsum camphoratum, & vesicantia suris applicata sunt; simul copiose potabat ægra decoctum hordei, rad. bardan. & acetosæ.

Subinde per diem dormivit, sed nec tunc cessabant tremores, alvum ter dimisit in lectum.

Hinc vespere tum ut somnus pacatior fieret, tum etiam ut alvus debilitans sisteretur, data est unc. j. syr. diacod. cum gtt. v. laudan. liq. syd. quo quidem alvus sistebatur, ast nox nequaquam fiebat tranquillior.

Sequenti die, cum eadem indicatio adhuc esset, nil in medicamentis mutavi, respiratio, & pulsus videbantur parum liberiores.

Circa tertiam pomeridianam cum sudore, emerserunt petechiæ rubræ, per universum corpus numerosissimæ.

Sequenti die non amplius tremebat, nisi dum manus aliquid prehensura elevabat; nullum amplius dolorem conquerebatur; pulsus, & respiratio majores, æqualiores, & minus celeres erant, alvus nulla; urina erat naturalis: verum inter petechias rubras, plures vibices livescentes conspiciebantur. Hinc licet ab exanthematibus manifestum levamen conspicerem; metui tamen, ne forte adhuc aliquid corrupti in massa sanguinea latitans illam denuo corrumperet, aut etiam ne deposita ad cutim materia morbosa forte retrocedens idem efficeret.

Hinc ut naturæ vires servarentur, & contra corruptionem munirentur humores; præter claretum N. 8. præscripsi.

℞. Aq. flor. rhæad. unc. vj.
extract. cort. peruv. dr. v.
vin. boni austriac. unc. ij.
syr. diacod. unc. j. ß.

M. ut uno bihorio duo cochlearia hujus mixt. ſumeret, altero bihorio clareto uteretur.

Commendavique, ut ſemper copioſe potaret.

Noctu ſat bene dormivit ſine paregorico.

Die decimo tertio petechiarum liveſcentium numerus minor erat, nox quoque ſequens pacata fuit.

Decimus quartus dies fuit decimo tertio ſimilis, niſi quod alvus bis prodierit ſponte, & levans, & parum noctu ſudaverit ægra.

Die 15. adhuc minor erat petechiarum numerus, & quæ ſupererant, pallebant.

Nox fuit optima, & alvum coctam fere naturalem depoſuit.

Die decimo ſexto penitus diſparuerant petechiæ; reſpiratio naturalis erat, & pulſus tantum debilitate peccabat; continuavit adhuc eadem medicamenta per ſex dies; appetitus viguit, vires cito redierunt, & dato die 27. purgante ex rheo, carnes ipſi conceſſæ ſunt, & brevi noſocomio exivit.

Altera autem femina, quæ quoque omnibus, quæ videbantur indicari, adhibitis a febre catharrali non potuerat cu-

rari, die 13 mensis, cum jam nonum diem in nosocomio ageret, incepit valde acute decumbere.

Pulsus erat celerior, fortis, respiratio cita, tussis valde frequens sicca, defatigans, lingua arida, nigra, sitis magna, urina subfusca, cutis sicca.

Instituebatur venæ sectio, & dabatur decoctum N. 1. cui nit. dr. j. ß. addebatur; noctu per intervalla dormivit: sequenti die vesperi major accessit anxietas, nox fuit inquietissima.

Tertio ab exacerbatione morbi die abdomen utcumque tensum erat, & vagos ibidem dolores conquerebatur, qui injecto enemate, cujus ope magna fecum copia & multi flatus prodiere,, penitus cessarunt.

Post meridiem pacatum somnum habuit, alacrior fuit, & noctem quoque bonam transegit. Sputa pauca glutinosa, tunc tussi incepit ejicere.

Ut expectoratio facilior redderetur, præter decoctum N. 1. pulvis N. 15. ipsi datus est, unde sputa quidem facilius prodierunt, reliqua autem manserunt immutata.

Nox inquieta fuit, & ægra per intervalla deliravit.

Die totius morbi 13. mane prægresso

magno cutis pruritu per totum corpus leniter ſudavit, pulſus liberior evaſit, & tuſſis facilior; ſed de pondere in ventriculo conquerebatur.

Alvus enemate denuo moveri debuit.

Die 14. urina erat cruda, magis rubra, & pulſus videbatur debilior.

Noctem quiete admodum tranſegit.

Die 15. reſpiratio erat multo difficilior, anxietas major, tuſſis frequens, expectoratio fere nulla, pulſus inæqualis, debilis, urina minus rubra ſine ſedimento, & alvus ſponte egeſta, ſolito magis fœtebat. Interim multum potabat, & levia alimenta utcumque aſſumebat.

In hoc ſtatu ſuris, & brachiis veſicantia applicata ſunt, ac pro medicamento emulſum N. 17. aſſumpſit.

Circa veſperam multo melius ſpirabat, & pulſus major, æqualior erat, omni momento autem ſe hinc inde jactitabat.

Hinc ut noctu pacatior eſſet, veſpere ſyr. diacod. unc. j. cui additæ erant laudan. liquid. ſyd. gtt. v. aſſumpſit bono cum effectu: ſiquidem blando plurium horarum ſomno refecta eſt, & die 16. tranquillior fuit: anxietas

tamen & tussis æque, ac antea illam torserunt.

Urina circa vesperam sedimentum album glutinosum deposuit: nox fuit insomnis usque ad quartam matutinam; post quartam vero eruperunt miliaria alba numerosissima in collo, abdomine, & pectore, imo his brachia obsita erant.

Facta hac eruptione tussis facillima, & minus frequens fuit, respiratio tamen adhuc naturali paulo celerior, pulsus erat sat plenus, liber; sub decimam matutinam alvum deposuit pultaceam, flavam, & urina coloris fere naturalis nubeculam in fundo gerebat.

Tunc loco emulsi N. 17. claretum N. 8. ipsi præscripsi.

Exinde nihil novi in ipsa, accidit ad diem vigesimum usque: noctes fuerunt pacatæ, febris moderata, subinde tamen superveniebat tussis.

Die vigesimo primo autem, dum miliaria incipiebant in squamas abire, tussis fuit frequentior, defatigans, sicca; dedi ergo clareti loco decoctum N. 1. ac simul unc. j. syr. diacod. vespere sumpsit.

Noctu per plures horas dormivit,

mane tussis erat humidior, & subinde sputa pauca glutinosa ejiciebantur.

22. Sputa erant cocta, facilia, respiratio bona, & vix febris indicium animadvertebatur.

Continuavit decocto N. 1. uti ad diem morbi 28. qua tussis disparuerat, ægra optime habente. Hinc ab omni medicamento abstinuit, & brevi vires recuperavit.

MENSIS MARTIUS.

In morbis acutis hoc mense nihil peculiare observavi; duo tantum fuerunt, quorum historiam dabo; femina nempe una, quæ diu cum febre intermittente luctuta demum incepit delirare, ita ut sæpissime e lecto exsiliret, & custodibus, aliisque adstantibus varia minaretur. In hoc statu ut maniaca ex alio nosocomio dimissa, ad nos adducta est.

Hæc erat torosa: facies, & oculi videbantur sani, dum vero ad illam accedere volui, manibus me fortiter repulit, ac ultro minas adjecit: blandis tamen verbis furorem lenire potui, ac dein illam examinavi.

Lingua erat humida, & coloris naturalis; respiratio bona, pulsus plenus, minime celer, color tamen faciei naturali magis ruber: alvum a triduo non deposuerat.

Præter enema, & mixt. N. 10. nihil exhibui.

Circa quartam pomeridianam incœpit soporosa fieri, respiratio erat difficilis, in pulsu autem præter plenitudinem nihil animadvertebatur: venam secari jussi; unde symptomata levata sunt.

Sequenti die mane missa urina rubra erat, ægra minus ferociter delirabat, & vix videbatur febricitare, pulsus tamen æque plenus erat, ac die præcedenti; hinc vena iterum secta fuit, & sanguis detractus spissus erat; pulsus tunc febrilis evasit, & ægra sensim animi compos facta post meridiem in priorem soporem collapsa est, qui sequenti die mane disparuerat, & post meridiem denuo accessit cum majori spirandi difficultate.

Enema denuo injectum est, & sequenti die emulso N. 3. & mixtura N. 14. usa est.

Inde vero magis anxia fiebat, & febris, quæ matutino tempore moderata esse solebat, validior fuit, ac vespere

ita increvit, ut, ægra huic ferendæ impari visa, venæ sectio rursus instituta fuerit: post hanc ægra levamen habuit: abstinuit tunc a cortice, ac solo decocto N. 1. cui addita erat nitri dr. j. ß. usa est, simul cum copioso decocto hordei, bardanæ &c. noctu per plures horas dormivit, & sequenti die exacerbatio multo minor fuit.

Continuavit ægra solo hoc decocto uti per quatuor dies, redibat tamen quotidie exacerbatio illam semper magis debilitans: hinc cum nihil corticem vetaret, denuo præscripsi mixturam N. 14. optimo cum successu, illam enim bene tulit, & tertio die post, paroxysmus pomeridianus emansit, remanente tamen febre continua, quæ die 13 quo in nosocomio decumbebat, alvo, & sudore per totum corpus æquabili aborto, penitus sublata est. Sumpsit adhuc per aliquot dies corticem peruvianum, & sat cito vires recuperavit.

Alter erat juvenis 20. annorum, qui jam diu domi ægrotaverat, antequam ad nos deferretur: dolebat toto corpore, pulsus erat celer, parvus, quandoque intermittens: magna debilitas, dolor capitis cum pondere gravativo ventri-

culi aderat, amaritudo oris, nausea, & sitis.

Data est statim dosis ypecacuanhæ: qua materia tantum mucosa rejecta est.

Postea aliquot laudani liquid. syd. gtt. exhibitæ sunt, & decoctum N. 1.

Die secundo, a quo in nosocomio erat, habuit hæmorrhagiam narium, quæ capitis dolorem multum lenivit: manebant iidem dolores, pulsus celeritas aucta erat: neque levamen doloris capitis constans fuit; nam sequenti die eadem cum vehementia redibat, ac pulsus multo celerior, & debilior erat, somnus nullus; & continuus sudor tunc ægrum debilitabat.

Tum data fuit mixtura N. 12.

Quarto die cessavit sudor, sed reliqua manserunt, atque per biduum nulla ulterior mutatio facta est.

Die septimo autem capitis dolor erat multo minor, pulsus magis elevatus, nec adeo celer, & vires meliores videbantur.

Nocte vero sequenti iterum sudor exortus est, qui ægrum multum debilitavit.

Die 9. tussis admodum frequens, sicca orta est; pulsus tum æqualior erat, non multum febrilis: dolores, quos initio

conquerebatur, disparuerant, & alvum bis deposuit liquidam: urina erat fere naturalis.

Datum est tunc decoctum N. 6.

Hoc in statu fuit adhuc per quatuor dies, sine ulla mutatione, subinde dormiebat, sed minus tranquille.

Decimo quarto autem pectore valde anxius erat: auditus erat gravis, & tussis frequentior somnum omnino turbabat.

Dedi decoctum N. 1. & subinde syr. diacodii.

Sequenti nocte novies purgatus est sine ullo levamine.

Die 15. sputa pauca, spumosa magno cum labore ejiciebat: pulsus erat valde acceleratus, & debilis, magna sitis, subsultus tendinum cum levi mentis alienatione, & majori pectoris oppressione.

Simul cum præcedenti decocto datum est emulsum N. 17.

Circa meridiem quædam miliaria alba proruperunt in pectore, quibus die sequenti disparentibus respiratio celeris, brevis evasit, & tussis aucta est.

Die 17. alvum iterum ter deposuit liquidam, crudam: idem die 18. evenit.

Tunc præter alia medicamenta bis per diem ſyr. diacod. unc. j. ſumpſit.

Die vigeſimo miliaria copioſa eruperunt in collo, pectore, abdomine: ter adhuc alvum depoſuit crudam: urina quoque cruda erat, reſpiratio fere naturalis: ſubſultus tendinum ceſſaverant, pulſus magis elevatus erat, ſputa facilius prodibant, & æger mente ſibi conſtabat.

Dedi loco emulſi N. 17. claret. N. 8.

Die 22. urina rubra gerebat enæorema diſperſum, atque ſic ſe habuit æger. ad 24. uſque diem, quo miliaria omnia diſparuere: tum tuſſis frequentior, & ſputa iterum ſpumoſa evaſerunt: reſpiratio brevis, & celerior cum majori pectoris oppreſſione, ac pulſus valde celer, & auditus graviſſimus erat.

Data eſt miſtura N. 13. & emulſum N. 3.

Inde pulſus paulo major factus eſt.

26. Pulſus erat iterum æque febrilis, & debilior, omnia alia ſymptomata erant eadem.

Duo veſicantia ſuris applicata ſunt.

Verum hæc, licet optime operata fuerint, nihil juverunt, & die 28. ſum-

me ſoporoſus factus eſt : pulſus erat valde debilis , omnino inordinatus ; ſputa parum majori copia , tenacia ejiciebantur : lingua erat humida , ſed nigra , ſordida.

Alternatim ſumpſit pulv. N. 15. & mixt. N. 13. & tria veſicantia adhuc applicata ſunt.

Die 30. ſputa cocta magno cum labore ejiciebat : præcedenti nocte ſudaverat, ſudorem tamen nullum ſecutum eſt levamen.

Continuavit iiſdem medicamentis uti.

Sequenti die alvus continuo in lectum effluebat , & omnia ſymptomata aucta ſunt cum tanta virium proſtratione , ut brevi moriturus videretur æger.

Dedi ipſi mixtur. quæ ad aquæ unc. viij. extract. cortic. peruv. dr. v. & laud. liq. ſyd. dr. ß. continebat , ut alternatim cum doſi emulſ. N. 17. cui boli armen. unc. ß. addita erat , duo cochlearia ſumeret omni altero bihorio , ac bina veſicantia de novo applicata ſunt.

Sub his ſiſtebatur alvus tam feliciter , ut nocte ſequenti ſemel tantum dimiſſa fuerit in lectum , & die 32. miliaria confertiſſima , alba in collo , pectore , abdomine , & brachiis proruperunt , quæ paucarum horarum ſpatio maxima

ſymptomata depulerunt : ſopor, & anxietas penitus diſparuerant ; reſpiratio erat facilis, pulſus liberrimus, debilis tamen, oculi vivaces, urina naturalis, tuſſis nulla.

Sequenti nocte optime dormivit : poſt quatuor dies in ſquamas abiverunt miliaria nullo amplius ſuperſtite ſymptomate, appetitus erat bonus, ac aptis alimentis, vires ſenſim reſtauratæ ſunt.

Verum cum duriores cibi ipſi recuſarentur, furtim ab amicis varia fercula acquiſivit, quæ avide abligurivit, & in dyſenteriam incidit nulla arte ſedandam, quæ trium dierum ſpatio miſerum ita exhauſit, ut fato functus fuerit.

MENSIS APRILIS.

MULTI hoc menſe acute decubuerunt.

Incipiebat in pleriſque morbus cum horripilatione frequenti, ingenti virium proſtratione aliquando per binos dies durante, donec accederet anxietas, calor magnus, ſitis magna, & dolor fere univerſus per totum corpus.

Pulsus erat in omnibus celer, minime durus; cutis sicca, lingua arida, plerumque fusca: oculi dolebant.

Febris in multis primis diebus circa vesperas exacerbabatur, quo tempore dolor capitis, & oculorum, ac tussicula sicca, quandoque etiam delirium se reliquis symptomatibus adjungebant. Illi quoque, qui cibis duris, & difficile digerendis soliti erant ali, nauseabant, & magis tussiebant. Permanebant hæc nova symptomata in quibusdam per 7. vel 8. horas, in aliis autem diutius.

Hi ægri statim ab initio decoct. N. 1. pro medicamento habuerunt, & copiose potarunt.

Venæ sectioni locus non fuit, pulsus enim nec plenus, nec durus deprehendebatur. Pluribus hoc modo intra 4. vel 5. dies cutis humescebat, ac simul disparuit omnis dolor, ac exacerbationes vespertinæ: verum tussis mansit sicca plerumque ad septimum diem usque, quo incepere sputa tenacia, glutinosa prodire, quæ ubi difficilia erant, pulv. N. 15. vel cons. N. 16. ægris porrigebatur, unde expectoratio multo facilior reddebatur, & ægri, & a febri, & a tussi brevi liberi fiebant.

Illis vero, qui nauseas patiebantur,

methodus dicta nullo modo profuit; licet enim magnam diluentium, & involventium copiam sumerent, augebatur omni die anxietas, & nausea, & valde debilitabantur.

Hinc ubi nihil contra indicabat, lene vomitorium exhibendum fuit, quo ejiciebatur materia variegata, glutine tenaci mixta cum magno ægrorum levamine

Quibus vero aliquid vomitum prohibebat, dedi rob. N. 4. cui pulveris folior. alexandr. dr. ij. addebantur: unde mota pluries alvo ægri quoque levabantur, licet tardius, & minus commode.

Sic expurgatis primis viis anxietas multo minor fuit, & tussis moderata, ac loco decocti N. 1. sumpserunt rob. N. 4. & infus. hæder. terrestr. veron., quibus utentes ægri primis diebus videbantur melius habere: verum plerumque circa quintum morbi diem pulsus fiebat debilis, inæqualis, respiratio celeris cum anxietate præcordiorum, cuti sicca, & mentis alienatione.

Emulsum ipsis N. 17. exhibui, ac præterea suris vesicantia applicata sunt: vespere vero unc. 1. syr. diacod. assumpserunt,

sumpserunt, unde nox satis pacata sequebatur.

Sexto die pulsus erat fortior, minus inæqualis, respiratio liberior, in reliquis vix mutatio aderat.

Iisdem medicamentis usi sunt ægri ad diem nonum, quo in binis prægresso copioso sudore miliaria alba circa collum, pectus, & abdomen copiosa prodierunt, cum levamine omnium symptomatum: etenim respiratio erat libera, febris multum imminuta, & ægri mentis compotes erant, ac nocte sequenti somno protracto reficiente gavisi sunt. Loco emulsi N. 17. clar. N. 8. exhibui.

Die 14. miliaria in squamas abierunt, ac febris in uno penitus desiit, nil mali in corpore relicto, ac brevi vires recuperavit.

Alter autem, licet prostantibus exanthematibus optime spirasset, ac vix tussi affectus fuisset, incepit denuo difficile spirare, tussi sicca defatigari, ac febris, quæ ante lenis erat, exacerbata fuit.

Decoct. N. 1. copioso, ac aliquoties de die syr. diacod. sumpto tussis lenita est, ac circa 17. morbi diem prodeunte magna sputorum coctorum copia insigniter levatus est.

Vigesimo die febris penitus desiit: continuarunt tamen sputa pauca per aliquot dies facile prodire, & æger brevi convaluit.

In his, qui exanthemata non habuerunt, crisis varia via facta est: plerique tamen oborto die 7. sudore, ac sæpius repetito undecimo die a febre liberi fuerunt.

Quidam & sudore, & alvo circa 14. diem judicati sunt, & omnes, qui hoc modo affecti fuere, feliciter curati sunt.

MENSES MAIUS, *ET* JUNIUS.

HISCE duobus mensibus febris continua remittens cum exacerbationibus omni alterno die recurrentibus multos plethorici temperamenti tam viros quam feminas affecit. Verum cum jam antea dicta methodo ad illos curandos usus fuerim, plura de illis dicere superfluum foret.

Fuere etiam hisce mensibus in noso-

comio multi morbi inflammatorii, quos methodo jam ante dicta fere omnes curavi.

Allatæ sunt vero tres feminæ, quæ prægressa aliquorum dierum lassitudine ingentem calorem, & sitim habere incœperunt, donec demum sub finem primi diei, vel secundo die accesserit validissima cordis palpitatio.

Binæ tertio morbi die ad nosocomium delatæ sunt, jam instituta venæ sectione; verum pulsum adhuc plenum, durum, ac celerem admodum habuerunt, ac ideo utrique unc. x. sanguinis vena eductæ sunt, ac vespere cum omnia fere in eodem statu deprehenderentur, eadem sanguinis quantitas educta fuit. Pro medicamento habuerunt rob. sambuc. cum nitro, & emulf. cum diacod.

Nox fuit inquieta, insomnis, ac sequenti die eadem in pulsu durities, & celeritas, anxietas, & cordis palpitatio eadem, urina flammea sine nubecula. Hinc iterum e vena mitti debuit sanguis qui æque phlogisticus erat, ac in prioribus venæ sectionibus. Hora tamen elapsa a venæ sectione remisit cordis palpitatio, pulsus minus durus apparuit, ac anxietas multum imminuta est;

post meridiem somno pacato ægræ refectæ sunt, nox quoque sat tranquilla fuit.

Quinto die cordis palpitatio erat lenis, pulsus minus celer, & ad mollem accedens; urina minus rubra nubeculam in medio suspensam gerebat; sitis quoque minuebatur.

Noctu per plures horas dormiverunt, ac mane fere in eodem statu inveniebantur ac die quinto. Post meridiem vero incepit iterum cor valide, ac citissime pulsare, anxietas magna erat, pulsus debilis, inæqualis, & ægrarum vires prostratæ. Hinc loco ulterioris venæ sectionis vesicans sub mamma sinistra applicui eo cum effectu, ut cessarent palpitationes, & respiratio facta fuerit libera, pulsus quoque liberior, æqualior.

Diem 7. & 8. sat bene transegerunt, ac die 9. exonerata pluries alvo bona critica a febre liberatæ sunt, ultra binas hebdomadas finito morbo in nosocomio eas retinui, ut se ex morbo confirmarent.

Tertia ex his feminis statim secunda die morbi ad nosocomium delata ter repetita venæ sectione, & medicamentis antiphlogisticis, copiose sumptis,

die quinta & a febre, & cordis palpitatione sine sensibili evacuatione liberata fuit.

Vir quoque 35. annorum torosus, & plethorici temperamenti ad nos delatus est jam secundo die ægrotans. Morbus cum valido frigore subito illum mane, dum surgere vellet, sine cognita causa corripiente inceperat.

Manserat illud frigus in suo vigore ultra semi-horam, dein sensim minutum calori urenti locum fecerat: accessit magna sitis, capitis dolor, delirium. Circa vesperas paulisper sudavit æger, & cessavit delirium: calor, & sitis minus vehementes factæ sunt, noctu tamen æger non potuit dormire.

Circa quartam matutinam incepit acutissimum dolorem in dextra dorsi parte, circiter sesqui pollicem infra axillam percipere: accessit quoque tussis, & difficilis respiratio. Hoc in statu ad nos deferebatur.

Pulsum habebat sat plenum, durum, valde celerem: unde ilico lib. 1. sanguinis vena educebatur, brevi crusta densa, phlogistica tectus. Loco dolenti cataplasma emolliens applicatum est, omni bihorio renovandum: medicamen-

to illi fuit decoctum N. 1. cui nitri dr. j. ß. addebatur.

Post venæ sectionem dolor paulisper minutus est, & pulsus durities minor videbatur, tussis facilior erat: manebat tamen sicca.

Vespere præter decoct. N. 1. cum nitro mediam partem emulsi. N. 3. hausit, ac noctu variis intervallis per 2. vel 3. horas dormivit.

Circa quartam matutinam tertiæ diei correptus est frigore, & totius corporis tremore; frigus vero, & tremor ultra horæ quadrantem non durarunt: postea calor auctus est, febris, & doloris acuties multum increverunt: ac dum accessi, inveni ægrum delirantem cum respiratione admodum celeri, interrupta subinde celeritate per inspirationem tribus, vel quatuor partitis inspiratiunculis peractam, tussis quoque frequens erat, & sicca: pulsus erat durus, inæqualis, lingua alba, sicca, & æger potum valde expetebat.

Hoc in statu venæ sectione eadem sanguinis quantitas, ac die præcedenti, educta est: erat sanguis æque phlogisticus. Respiratio post venæ sectionem major, liberior facta est, & pulsus minus inæqualis.

Cataplasmati emollienti, loco dolenti substitui fermentum panis cum seminibus sinapi, & pauco aceto: ac enemate emolliente alvus educebatur cocta.

Paroxysmus febris tertianæ circa meridiem deferbuit, ac æger per horam sudavit: finito sudore aberat delirium: respiratio multo facilior erat, ac tussi subinde gluten paucum ejiciebatur: pulsus erat plenior, mollis, & dolor multum imminutus.

Noctu per plures horas dormivit.

Die morbi 4. respiratio non multum erat impedita, ac rubefaciens loco dolenti applicatum epidermidem in vesiculas elevaverat, & dolorem tantum obtusum tunc percipiebat æger: tussis erat rarior, & sputa semi-cocta sat facile prodibant: post meridiem bis alvum habuit pultaceam, flavam, & sub vesperas ultra bihorium dormivit, noctem quoque sat quiete transegit.

Quinto tamen die mane rediit paroxysmus febris intermittentis: verum inde dolor moderatus, qui supererat, non fuit exacerbatus: abfuit delirium: respiratio sat libera mansit, celeritate tamen multum excedens tussis erat frequentior, magis sicca: pulsus quoque

celerior, ſubinde inæqualis, minus liber.

Quinquies alvus cocta prodiit durante paroxyſmo, qui circa veſperas copioſiſſimo ſudore finitus eſt: abſuit tunc omnis dolor tuſſis, rara admodum facta eſt, & æger fere tota nocte dormivit.

Sexto die vix febris indicium in pulſu percipiebatur, & omnia pleuritidis ſymptomata aberant: in ſudores autem valde pronus erat æger: ut ſolo aſſumpto juſculo totus maderet.

Hoc die pro medicamento ſolum emulſ. N. 3. ipſi datum eſt: per diem non dormivit, verum noctem ſat pacatam habuit.

Septimo morbi die mane cum leni frigore rediit paroxyſmus febris intermittentis: verum nec dolor lateris, nec tuſſis inde recruduerunt: pulſus, & reſpiratio ſat libera manſerunt: & veſpere more ſolito copioſo ſudore deſiit paroxyſmus ægrum valde debilem relinquens. Cum vero nulla amplius prægreſſi morbi inflammatorii indicia conſpicerentur, potuit cortex peruvianus exhiberi: hinc die octavo incepit omni bihorio unc. j. ſumere ſequentis mixturæ.

℞. Extract. cort. peruv. dr. v.

Aq. flor. rhæad. unc. vj.
Vin. bon. austriac. mont. unc. ij.
Syr. diacod. unc. j. ß.
M.

Hoc die minus sudavit æger, noctu ultra 5 horas dormivit, & die nono paroxysmus vix sensibilis fuit: continuavit tamen in usu hujus mixturæ ad diem 14 quo cum optime valeret, omni medicamento abstinuit, & sola bona dicta utens brevi vires recuperavit.

CAPUT II.

Pauca de Febribus intermittentibus continens.

MEDICAMENTIS in arte usitatis sat facile curati sunt febribus intermittentibus laborantes. Qui quotidiana tam autumnali, quam vernali affecti sunt, ab rob. N. 4. citius levati, & curati fuerunt, quam ab aliis medicamentis. Ubi pectus affectum erat tussi sicca, vel humida, solum decoct. N. 1. plures curavit.

Medicamenta salina, & conserv. ex

antiscorbuticis maximam tertianarum partem sustulerunt. Accidit tamen, ut cortex peruvianus dari debuerit.

Quatuor ægros tertiana laborantes sequenti mixtura curavi.

℞. Spir. sulphur. p. camp. dr. ß.
Aq. flor. rhæad. unc. ij.
Syr. diacod. dr. vj.
M. S. tribus horis ante tempus paroxysmi sumatur uno haustu: & desuper decoctum hordei pro libitu hauriat æger.

Quibus autem hoc medicamentum datur, debent habere corpus purum, ab omni instructione liberum, & pulmones bonos. Aliter sub paroxysmo oritur tussis, & febris vehementia augetur.

Debet repeti hæc dosis bis, vel ter, antequam paroxysmus emaneat.

Quartana febris nulli alteri medicamento melius cessit, quam continuo usui decocti N. 19. sæpe tamen post hoc debuit cortex peruvianus exhiberi.

Ubi respiratio extra paroxysmum, etiam difficilis erat in quartanis, multos curavi intra 7. 8, vel 9. dies, dando illis quater de die kermes mineral. gr. ij. super poto decocto hordei. radic. bardanæ, & acetos. cum oxymelle simplici.

Plures, qui kermes minerale non bene ferebant: infuso stipit. dulcamaræ

æque brevi temporis ſpatio curati ſunt.

Tacere non poſſum caſum feminæ in octavum menſem gravidæ, quæ 20 Januarii anni 1761. ad nos delata eſt.

Hæc jam ab anno febri laborabat; modo quartana, mox quotidiana, quæ ſubinde etiam in tertianam mutabatur: plures medicos conſuluerat, & cortice peruviano jam ſexies fugata fuerat febris; verum poſt paucos dies ſemper redibat, typum æque inconſtantem ſervans, ac antea; poſtquam demum omnem ſubſtantiam in ſolvendis medicamentis conſumpſerat, ad noſtrum noſocomium delata eſt, febri tunc tertianæ typum jam a 15. diebus ſervante.

Habebat reſpirationem valde laborioſam ſine tuſſi, & circa tertiam pomeridianam ingruens tertianæ paroxyſmus ægrum continuo videbatur trucidaturus: duravit ad ſequentem diem mane, antequam deferbuiſſet.

Ob difficilem extra paroxyſmum reſpirationem cortice peruviano jam toties incaſſum adhibito non licebat uti, unde infuſum ſtipit. dulcamar. ipſi exhibui, quo ſenſim reſpiratio facilior facta eſt, & paroxyſmus 22 Januarii ingruens multo lenior fuit: poſtea bis tantum denuo rediit, dein penitus emanſit: &

ſub uſu ſtipit. dulcamar. reſpiratio omni die ita emendata eſt, ut intra 10. dies liberrima fuerit, & brevi poſt domum rediit ab omni morbo libera. De febribus autem intermittentibus poſtea pluribus agam.

CAPUT III.

DE mira *Cicutæ* efficacia in difficillimis ac multis olim pro incurabilibus habitis morbis.

CASUS PRIMUS.

MENSE Martio anni 1760. dum magnificus Archiater Antonius *Storck*, vir labore indefeſſus, & in determinandis medicamentorum viribus & efficacia in morbis curandis, animi perſpicacia adeo felix, ægris noſocomii ſolus adhuc medicinam faceret; allata eſt femina 35. annorum jam in tertium menſem aſcite laborans: tactu tunc præter aquam in abdomine nihil deprehendebatur, & ægra doloris expers erat.

Dedit ipsi magnificus vir ea, quæ evacuandis aquis idonea erant, quæ ego quoque, dum ipsi mense Aprili adjungerer eo cum effectu continuavi, ut initio Junii ab ascite omnino libera esset, & in functionibus læsio nulla animadverteretur: curato ascite in abdomine tumor durus circiter duorum pugnorum virilium magnitudine ex hypochondrio sinistro emergens, pollicem circiter infra cristam ossis ilii, dum sedebat ægra, extensus, in decubitu minus descendens, mobilis manui tangenti se obtulit: sumpsit ægra varia medicamenta solventia: verum nullo modo mutatus est tumor: unde omnia cum incassum adhiberentur, ad cicutam confugi, & 14 Julii ægræ extracti cicutæ gr. xij bis de die per triduum exhibui, ut viderem, an bene ferret: nihil autem inde mutabatur.

Hinc 17. incœpit scr. j. bis de die sumere: tantum levia alimenta ipsi exhibebantur, & monebatur, ne vel cibi titulo, vel potus, talia ingereret, quæ stimulo suo circulationem nimium excitarent, & acrimoniam in corpus inducerent.

Urina copiosa prodibat, & alvum liberam reddebat enema omni alterno

die injectum; erat enim per sex primos dies, quibus cicuta utebatur, valde adstricta, postea vero sponte omni die solvebatur: reliquæ autem functiones bonæ erant.

29. Circa vesperam levem dolorem conquesta est in loco tumoris, & minus bene dormivit.

30. Dolor ille levis adhuc aderat, sed tumoris moles paulisper minui videbatur.

Sumpto leni purgante cessavit dolor, & somnus denuo optimus subsecutus est.

Perrexit in solita cicutæ dosi: quotidie semel, aliquando etiam bis de die alvum coctam mollem deponens, donec 11. Augusti ob appetitum prostratum dr. j. rhei electi in pulvere sumpserit, unde pluries purgata est cum appetitus emendatione: manifeste autem tum temporis tumor in omni dimensione minuebatur, quod & mecum observavit magnificus *Störck*.

Sub usu cicutæ continuato ita minutus est tumor, ut 30. Augusti media sui parte disparuisset, & residuum multo mollius esset; facile sursum sub costas movebatur, dextroversum vero & sinistrorsum minus facile.

Vires adeo bonas habebat ægra, ut veniam petierit ad ſolitos labores redeundi, promittens ſe ad me venturam & medicamentis uſuram, donec reſiduum tumoris perfecte diſpulſum eſſet.

Metuens autem ego, ne nimio corporis exercitio ſibi noceret, in noſocomio illam retinui, & permiſi, ut ſubinde in libero aere deambularet.

Itaque menſem Septembrem in noſocomio tranſegit, eadem cicutæ doſi utens, ac omni octiduo hauſtu N. 1. purgata.

Ultima Septembris ægram mecum examinavit magnificus *Storck*, & cum nullum præteriti tumoris veſtigium ſupereſſet, paucis poſt diebus licuit ipſi noſocomio diſcedere: dedi tamen ipſi unc. j. extracti cicutæ in pillul. gr. iv. redacti, ut bis de die N. 3. ſumeret.

Menſe Februario anni 1762. eandem ægram alio morbo laborantem in noſocomio curavi & abdomen diligentiſſime examinatum ubique æqualiter molle deprehendebatur.

CASUS SECUNDUS.

JUVENIS 25. annorum ob peripneumoniam, qua affectus erat, ad nosocomium 12. mensis Junii delatus, aptis remediis intra 9. dies morbo hoc liber fuit. Annuum autem tumorem, durum, scirrhosum, ovi anserini mediocris magnitudine in latere colli sinistro, angulo maxillæ inferioris continuum, & usque ad posticam auris partem extensum gerebat, cujus curationem enixe optabat, quapropter illum in nosocomio retinui.

28. Junii incœpit cicuta uti, ac bis de die pilul. N. 3. gr. iv. sumpsit: externe vero toto die fovebatur tumor cicutæ decocto, noctu emplastro tegebatur ejusdem nominis.

4. Julii, nulla a dicta cicutæ dosi nec in tumore, nec in functionibus mutatione observata, incœpit bis per diem extracti cicutæ scr. j sumere: vires optimas habebat, tantumque appetitum, ut loco carnis vitulinæ bubula ipsi concessa fuerit.

12. Calorem majorem & dolores lancinantes in tumore conquestus est:

pulſus utcunque febrilis deprehendebatur: carnibus abſtinuit æger, & ſolis levioribus alimentis nutritus perrexit iiſdem medicamentis uti.

13. & 14. Eadem continuarunt ſymptomata: nec tamen ulla mutatio vel in colore, vel in duritie tumoris aderat: ſumpſit æger præter cicutam emulſum cum diacodio.

15. Omiſſa cicuta, cum dolores majores eſſent, ſolo emulſo uſus eſt.

16. Die tumor rubebat, & in medio magis elevatus erat, dolores quoque in eodem fere ſtatu remanebant; pulſus erat febrilis; ſitis utcunque magna; appetitus ſat bonus, alvus naturalis.

Febris, dolor, rubedo, & elevatio molis ſcirrhoſæ nullum metum incuſſerunt; quin potius ſpem fecerunt brevi futuram in tumore ſuppurationem: cicuta tamen abſtinuit, cujus loco emulſis refrigerantibus uſus eſt ad 19. Julii, qua cum febre careret, denuo incœpit eandem ac antea cicutæ doſin ſumere: erat tunc tumoris apex liveſcens.

Dolores ſenſim minuti ſunt, & æger omnes functiones optime peragebat, appetituſque ita increvit, ut præter alia alimenta facile digerenda, leviores

carnes ipsi sub finem Julii concedi debuerint.

4. Augusti aliqua fluctuatio in superiori tumoris parte aderat, & totus tumor suæ duritiei multum amiserat; color in superiori parte livescens, manebat in ambitu naturalis.

Perrexit ut ante æger in usu cicutæ interno & externo, non multum dolens: sensim magis elevabatur tumoris apex, & moles dura quotidie magis magisque suppurando minuebatur.

11. Augusti sponte apertus est tumor, & magnam copiam puris tenuis, flavescentis, hinc inde striis nigris intermixti, subfœtidi fudit: hoc modo duæ tertiæ partes disparuerunt, remanente in ambitu circulo duro: parum autem admodum dolebat æger, & perrexit scr. j. extracti cicutæ bis de die sumere; tumor emplastro cicutæ continuo tectus, infuso cicutæ per diem diligenter fovebatur.

Omni die bis deligatus tumor pus dabat copiosum sat bonum.

Sub finem augusti suppuratione consumpta erat durities: cicuta tunc abstinuimus, & ulcus emplastro dyachylon cum gummatibus tegebatur: hoc mo-

do circa medium Septembris ulcus cicatrice obductum fuit, & paucis post diebus domum æger rediit sanus.

CASUS TERTIUS.

PUELLA 27. annorum jam a sesqui anno genu dextrum tumidum & durum habebat; reliquiæ erant arthritidis, qua per tres hebdomadas laboraverat. Illius cruris usu ab eo tempore carebat: cæterum optima sanitate fruebatur.

Præmisso purgante, 4. Augusti dedi ipsi bis de die extractum cicutæ gr. xvj. & externe fomentum plantæ hujus applicabatur.

Octava augusti ter eandem dosin per diem sumpsit: sic continuavit sine ulla mutatione sensibili, licet quoque purgans omni octiduo sumeret, ad 24. ejusdem mensis: cæterum pergebat optime habere, & omnibus in nosocomio usitatis alimenti vescebatur.

Cum autem nullam in tumore mutationem animadverterem, dosin medicamenti auxi, ac quotidie dr. 1. extracti cicutæ sumendam in mixtura exhibui.

5. Septembris speciem fornicationis

ſe in genu percipere aiebat : crus quoque , quod fere immobile hucuſque fuerat , paulo melius movebatur ; tumor tamen nec mole , nec duritie mutatus erat.

10. Genu pauliſper mollius apparebat , & cruris motus adhuc liberior erat.

Sub uſu cicutæ tumoris moles & durities ſenſim minui poſtea manifeſte conſpiciebantur ; cum tamen circa 17 Septembris dolores in genu antea parvi intenderentur , purgans bis ipſi dedi , & interno cicutæ uſu abſtinuit per aliquot dies : poſtea vero , ſi bis purgans datum excipias , ſine interruptione bis de die extracti cicutæ ſcr. 1. ſumpſit , uſque ad 23 Octobris , qua illam cum magnifico *Storck* examinantes , vidimus tumorem diſparuiſſe , crus facile in omnem partem moveri , minus tamen firmum , quam ut illi inſiſtere poſſet ægra.

Applicatis autem per 15 dies fomentis ex herbis aromaticis paratis robur rediit , & ægra baculo adjuta per cubiculum ambulare potuit : 20 Novembris noſocomio exivit libero cruris uſu gaudens. Ab eo tempore ſæpius illam in plateis vidi optime valentem : toto tempore curæ functiones omnes optimæ permanſerunt.

CASUS QUARTUS.

PUELLA 15 annorum catameniis nondum gavisa, anno 1760. sub finem Augusti ad nos delata est, jam in 11 mensem cruris dextri usu carens ob genu tumorem, qui sine cognita causa ortus sensim increverat, ita ut nunc fere duplo majus esset hoc genu quam alterum.

Crus paulisper retroflectere poterat, verum cum magno dolore: genu circumcirca durum erat & dolens. Purgans bis alterno die sumpsit ægra, & tertia Septembris incœpit cicuta uti.

Dabantur ipsi bis de die pilul. N. III. gr. IV. & externe fomentum de cicuta applicabatur.

Septima septembris bis de die extract. cicutæ scr. I. sumere incœpit, & post paucos dies jam minui videbatur durities tumoris, qui 17 Septembris tertiam suæ molis partem amiserat, ac ad latus rotulæ internum pressus in latere externo cutim magis elevabat, manifestaque fluctuatio aderat: quæ ostendebat materiam antea spissam, tenacem, pro parte jam fusam esse.

Continuavit ægra cicuta interne & externe uti ad 24 Septembris, qua tumor ubique mollis in parte interna, ubi fluctuatio aderat, magis elevabatur.

Dedi tunc pulv. N. 10. quo optime purgata est cum doloris remissione. Idem pulv. post biduum repetitus est, dum externe foveretur continuo pars decocto cicutæ. Post triduum eundem pulverem sumpsit: verum licet hoc modo magna per alvum evacuatio fieret, nihil tamen in mole tumoris mutabatur.

Applicuit tunc externe Dominus *Haffner* fomentum ex herbis absynthii, marrubii, rutæ, &c. cum addito sale ammoniaco paratum. a 24 Septembris cicuta abstinuit.

5. Octobris adhuc semel purgans sumpsit, verum quamquam adhuc bene purgata sit, & fomentum illud solvens & discutiens diligentissime applicatum fuerit, mansit eadem tumoris moles & dolor in toto genu ortus est sat magnus.

Tumores lymphaticos cum successu sæpius aperuerat expertissimus Dominus *Haffner* curante magnifico Domino *Storck*; hinc cum spem non haberemus evacuandæ alia via materiæ, & metus esset, ne sensim acrior facta, omnia suc-

cessu temporis destrueret, aperturam tentandam esse conclusimus.

Ut tamen materies facilius per parvum foramen efflueret, cicutæ extracti. g. xvj. in pilulas redactis denuo bis de die per octo dies ab ægra sumptis, & fomento cicutæ diligenter externe applicato, quod forte in tumore adhuc nimis tenax supererat, attenuare conati fuimus.

Dolores continuarunt magni esse; minores tamen, quam dum cicuta abstinebat.

14. Ejusdem octobris expertissimus Dominus *Haffner* ad latus internum rotulæ, ubi major elevatio erat, parvam aperturam fecit, per quam magna copia materiæ partim tenuis, partim glutinosæ tenacis effluxit, unde genu valde collapsum est. Deligavit deinde sine turanda, applicato cicutæ emplastro & desuper fomento ejusdem plantæ.

Post paucos dies vulnusculum consolidatum erat, cum tamen hoc genu adhuc paulo majus mole esset, quam aliud, continuavit in — & externe cicuta uti ad 28 qua potuit sine baculo incedere, sensimque ita assuevit deambulationi, ut circa medium Novembris nosocomio egredi potuerit nullo superstite prioris mali indicio.

CASUS QUINTUS.

JUVENIS 17 annos natus, initio Augusti ad nosocomium deferebatur, pertinaci tussi, qua præter mucum tenuem nihil ejiciebatur, jam a 15 diebus laborans: gerebat præterea æger tumorem valde durum, ab angulo maxillæ sinistræ ad mentum fere usque sub maxillam extensum, magnæ molis: jam in tertium annum juveni molestus erat hic tumor, quem variis interne & externe applicatis medicamentis per sesqui annum aggressus nullo modo mutaverat.

Primum curanda fuit tussis, quæ spatio trium hebdomadarum remediis cessit demulcentibus. Ablata tussi æger omni medicamento abstinuit per dies, quibus vires optimas acquisivit: quapropter ipsi roganti 6 Septembris cicutam exhibui.

Per 5. primos dies gr. xij. mane & totidem vesperi sumpsit, unde appetitus multum acuebatur. Diurno tempore tumor decocto diligenter fovebatur, noctu vero emplastrum decocti vices præstabat.

Ab

Ab 11. ad 16. diem Septembris pilul. IV. gr. IV. bis de die sumpsit: quo tempore nulla mutatione in tumore observata, & dato 17. purgante N. 10. 18. bis de die pilul. vj. gr. IV. sumendas exhibui.

His per 4. dies usus incœpit formicationem in tumore percipere: continuavit tamen eandem cicutæ dosin sumere per 6. alios dies, quo tempore formicatio in dolorem leniter urentem mutata est. Cæterum omnes functiones bonæ erant, & quotidie semel vel bis alvus deponebatur cocta, pultacea: tumor sub angulo maxillæ paulisper elevabatur, ac tactu elasticus, minus durus deprehendebatur.

Continuavit æger ad 7 Octobris eadem cicutæ dosi uti, qua die febricitavit, dolor multum auctus erat: tumor in omni ambitu major, minus renitens, & sub angulo maxillæ mollities percipiebatur; capite dolebat, appetitus tamen manebat sat bonus, & alvum bonam sæpius bis de die continuabat deponere.

Perrexit Dominus *Haffner* decocto cicutæ per diem locum fovere, & noctu ejusdem emplastro tumorem tegere.

Omissis carnibus æger solis levioribus

alimenti nutriri cepit, & loco cicutæ emulso cum diacodio usus est.

Febris lenis duravit per quatriduum cum siti moderata, ad quam sedandam decocto hordei cum melle utebatur æger. Omni nocte per 4. vel 5. horas variis intervallis dormivit.

12. Octobris penitus apyetos erat: manifesta tunc fluctuatio in medio tumoris percipiebatur: dolores in hoc parvi erant, & cephalalgia desierat, appetitu autem carebat æger, quem sumpta 13. die rhei elect. dr. 1. sensim recuperavit, ac paucis diebus postea carne teneriori vesci denuo incœpit, & priorem cicutæ dosin denuo sumere.

Perrexit quotidie tumor suppuratione magis magisque molliri, & 20 Octobris tantum margines circumcirca duri percipiebantur: reliquum omne suppuratum erat.

Solo tunc emplastro cicutæ diu noctuque tumor tegebatur, ne continua calidi fomenti applicatione nimis cito macerata cutis rumperetur, & pus ad reliqui tumoris maturationem necessarium effunderet: incœpit tunc æger solummodo pilul. iij. gr. iv. bis de die sumere.

27. Cum jam margines tumoris fusi

essent, præter partem parvæ nucis juglandis magnitudine, pollice ab angulo maxillæ remotam, tumor sponte in medio apertus est, unde magna copia puris tenuis subflavescentis, striis subnigris intermixti effluxit, nullo modo fœtens: totus tumor sic evacuatus est, præter partem illam prius memoratam. Ulcus tegebatur emplastro diachylon cum gumm. & desuper fomentum de cicuta applicabatur.

Continuavit omni die effluere pus optimæ consistentiæ quantitate sensim minuta, donec circa medium Novembris ulcus cicatrice obduceretur.

Licet toto hoc tempore continuarit dictam extracti cicutæ dosin sumere, nullo modo mutata est pars dura, post suppurationem reliqui tumoris residua, & æger hoc pauxillum nihilo faciens 20 Novembris ad suos sanus rediit.

CASUS SEXTUS.

PUELLA 23. annorum circa medium Junii ad nos venit, catameniis jam ab anno carens, chlorotica, debilis: tumores glandulosos, duros jam a binis annis habens, unum nempe ovi anatis mag-

nitudine ſub parte dextra maxillæ inferioris : alium paulo majorem ſub mento & unum triplo majorem ex duobus aliis non perfecte diviſis conſtantem ſub parte ſiniſtra ejuſdem maxillæ.

Prima cura reſtituendis catameniis adhibita, partim theriacæ diateſſaron, partim pilularum ex gummatibus aromaticis uſu, per bimeſtre continuato, adhibito ſimul ſub finem ſecundi menſis aliquoties balneo pedum ex herbis aromaticis parato.

17. Auguſti prodierunt menſes ſat copioſi, qui per 4. dies optime fluxerunt, quibus elapſis ægra optime habebat : nulla autem a copioſis ſolventibus, quæ per bimeſtre ſpatium ſumpſerat, in tumoribus mutatio facta fuit.

Hinc 24. Auguſti incœpit. gr. xvj. extracti cicutæ bis de die ſumere, ac cum per octiduum immutata hanc doſin ſumpſiſſet, prima die menſi Septembris ter de die eandem doſin ſumpſit, hancque continuavit.

Nulla ad medium uſque hujus menſis obſervata eſt mutatio; tumores in eodem ſtatu permanſerunt indolentes, functiones omnes optime peragebantur, & ægra alvum quotidie ſemel, quando-

que etiam bis, coctam, pultaceam deponebat.

17. Septembris videbatur moles tumorum, qui in latere sinistro, & sub mento erant, paulo minor, aiebatque ægra, se jam ab hesterno die sæpius sensum animalculorum repentium in horum tumorum substantia habuisse: nulla functionum præternaturalis deprehendebatur.

Eadem extracti cicutæ dosi continuavit uti, & post triduum ille sensus repentium animalculorum fiebat leniter dolorificus, dictosque tumores mole minui, tunc clarius patebat: pulsus erat naturalis, & quoad omnia bene habebat.

20. Dato ipsi masc. pilul. ruffi. scr. I. cum additis scammon. gr. IV. novies alvum deposuit, & noctu menses prodiere, qui per 4. dies debite fluxerunt.

Abstinuit ægra omni medicamento ad 26. Septembris, qua solita pilul. cicutæ dosi iterum incœpit uti. Erat tunc tumor sinistri lateris multum minutus, & in duos minores perfecte divisus, minus durus; idem observabatur in eo, qui sub mento hærebat; lateris vero dextri tumor immutatus permanebat,

& indolens, in aliis pergebat ſubinde formicationem percipere.

Perrexit ægra hoc modo ad mediam Octobris uſque, ſumebat nempe dictam extracti cicutæ doſin per 5 dies, & omni ſexto die maſs. pilul. ruffi. ſer. 1. unde pluries purgabatur.

Hac methodo eo perventum eſt, ut circa medium Octobris tumor, qui ſub mento erat, penitus diſparuerit, & in ſiniſtro latere tantum duo parvi tumores nucis avellanæ magnitudine ſuperfuerint, valde duri, qui viſu nullo modo animadvertebantur: tumor vero, qui dextrum latus occupabat, ejuſdem molis erat, ac ante cicutæ uſum. Hoc in ſtatu puellam vidit magnificus *Storck*, qui tempore curæ illi ſæpius mecum adfuerat, viderunt & plures alii experiſſimi viri.

18. Octobris iterum proruperunt menſtrua, quorum fluxus quatuor dierum intervallo abſolutus eſt.

25. Iterum incœpit cicuta uti, & continuavit uſque ad 8. Novembris, qua ad ſolitos labores redire voluit.

CASUS SEPTIMUS.

Puella 24. annorum sub finem Augusti 1760. ad nos deferebatur cum tumore duro, tarsum pedis dextri occupante, qui ante 5. menses sine nota causa ortus, brevi temporis spatio ita increverat, ut pedis malleoli a reliquis partibus nullo modo distinguerentur. Initio quidem doloris expers prementi digito cedebat, & cruris usus, licet minus liber esset, non tamen penitus erat impeditus, donec cineribus calidis & similibus applicatis in duram massam dolentem, omnem motum pedis impedientem concreverit. In hoc statua d nos delata est.

Cum in omnibus reliquis sana esset ægra, præmisso purgante statim ad cicutam devenimus. Dosis ab initio fuit extracti cicutæ ser. 1. bis de die, & externe decocto cicutæ fovebatur tumor.

Circa medium Septembris incœpit ægra omni die extracti cicutæ dr. 1. sumere, cum qua continuavit, interposito omni 12. vel 14. die purgante, usque ad 17. Novembris, qua tumor multum collapsus, & ubique mollis deprehendebatur.

17. Datæ sunt ægræ pilul. purg. unde pluries purgata est, has pilulas dein omni quinto die sumpsit, & diebus intermediis solita extracti cicutæ dosi usa est.

Sic tumor in parte pedis externa sensim ita minutus est, ut sub finem Decembris tantum malleolus internus paulisper tumeret.

Omni medicamento interno postea abstinuit: cum tamen, licet pedem sat facile in omnem partem moveret, illi per pauca tantum minuta insistere posset, fomentis ex cicuta, & admixtis variis herbis discutientibus fotus est pes: hoc modo mensem Januarium transegit, quo tempore tantum bis purgans ex rheo assumpsit, & sine ulla arte alia tumor integre disparuit.

Motus tamen valde impeditus manebat, & vix aliquot præ dolore passibus incedere audebat: pedem quoque hinc inde manu movendo audiebatur strepitus in articulo, quasi a ligamentis humido lubricante orbatis.

Ad hanc siccitatem superandam usa est ægra balneo ex herba cicutæ & aliis solventibus & emollientibus herbis parato, quo licet exacte per tres menses usa fue-

rit, non facilius incedebat; dolor tamen multo lenior erat.

Initio Aprilis cum hac methodo nihil effici videremus, infusum arnicæ ipsi exhibui.

Hoc medicamentum toto mense Aprili assumpsit, & tunc sat commode bis vel ter lento passu ab una parte cubiculi ad aliam baculo adjuta ire poterat; strepitus tamen, dum pes manu movebatur, fere æque magnus audiebatur.

Coacti fuimus illam adhuc per aliquod tempus in nosocomio retinere, ubi sensim liberum pedis usum recuperavit, & ex nosocomio sana dimissa fuit.

CASUS OCTAVUS.

FEMINA 25. annorum ad nos 12. Septembris anni 1760. ob ingentes ac fere intolerabiles omnium artuum dolores, quos noctu præcipue patiebatur, delata est.

Hos dolores jam a pluribus annis tolerabat, adeo autem increscebant, ut tunc diu noctuque lecto affixa manere cogeretur.

Tumores glandulosos, duros, colli anteriorem partem cingentes jam in quar-

tum mensem gerebat; in osse bregmatis dextro tophum cum dolore fixo circa suturam coronoideam habebat; cutis universa a quatuor hebdomadis scabie deturbabatur, & totum corpus valde emaciatum erat.

Simul & fatebatur se jam a sex annis fluore albo admodum acri laborare, ac sæpius ob dolores urentes difficulter urinam mittere.

Pulsus erat febrilis, & per intervalla febris valde intendebatur, hinc pro medicamento dedi decoctum sassapar: & potus ordinarius illi fuit copiosum decoct. hord. radicum bardanæ & acetosæ cum lacte mixtum.

Hac methodo intra 8. dies a febre libera fuit, licet dolorum levamen vix ullum animadverteretur.

Continuavit iisdem medicamentis uti ad 27. Septembris, qua incœpit bis de die assumere cochleare sequentis.

℞. Spir. frumenti lib. ß.
Mercur. sublim. corros. gr. iij.

Desuper potabat prius decoctum, cujus mensuræ 1. lact. mens. ß. addebatur, ut totum nychthemeri spatio absumeret.

Jam prima die tussis prehendebat ægrum, & augebatur ita, ut tertio die

a spiritu frumenti abstinere debuerimus. Cum jam toties expertus fueram, cicutam licet summis viribus solventibus præditam nullas tamen in corpore turbas excitare, statui experiri, quid in hac jam adeo provecta lue efficeret: unde incœpit ægra prima Octobris pilul. N. 3. gr. iv. bis de die sumere: cibis facile digerendis alebatur, & pro potu ordinario prius decoctum sumebat.

8. Octobris cum nihil mutari videretur, pilul. N. 5. gr. iv. extracti cicutæ bis de die illi exhibitæ sunt. Lac recusavit, & maluit decoctum solum sumere.

Diu noctuque ad finem hujus mensis eosdem fere dolores conquesta est, corpus tamen fiebat magis torosum, & vires increscebant: tres tumores in colli sinistra parte manifeste molliebantur; appetitus vigebat, & alvus semel, quandoque bis quotidie liquida exonerabatur: fluor albus æque copiosus, minus acris erat, & rarius, dum urinam mittebat, dolores urentes patiebatur.

Ultimis Octobris diebus dolores diurnos, nocturnosque artuum minores fieri gaudebat.

Initio Novembris bis de die extract.

cicutæ gr. xxiv. ſumpſit, qua doſi per integrum menſem uſa eſt.

Toto menſis decurſu appetitus fuit bonus, alvumque omni die bis, aliquando etiam ter depoſuit; fluor albus minutus eſt; tres ex tumoribus colli ſub finem menſis fere integre ſuppuratione conſumpti aperti ſunt, unde pus ſubflavum, copioſum effluxit: eodem autem tempore ad reliquos tres, qui ſupererant, & qui jam minus duri videbantur, adjunctus eſt novus ſub mento ortus. Dolores per diem fere integre ſilebant, & cum noctu quoque multum leniti eſſent, ſomnus pacatior diutius protrahebatur.

7. Decembris cum nimiam ciborum ab amicis allatorum quantitatem comediſſet, incœpit ventriculo dolere, anxia fieri, valde ſitire, & noctem valde inquietam transegit: ſequenti die mane accedens eadem ſymptomata inveni, & pulſum celerem, inæqualem. Abdomen erat tenſum, & alvus a matutino tempore præcedentis diei adſtricta.

Præſcriptus eſt ipſi hauſtus N. 10. & ilico injectum eſt ipſi enema leniter purgans, unde bis alvum habuit. Poſt meridiem ſumpto hauſtu ſepties purgata eſt, unde anxietas fere omnis ſublata fuit:

nox tamen fuit inquieta, & sequenti die mane pulsus æque celer, minus tamen inæqualis deprehendebatur: lingua erat sicca, sitis sat magna, temporum quoque dolor magnus aderat, multoque vehementius dolebat capitis parte sinistra circa commissurum ossis frontis cum osse bregmatis, ac dolor attactu augebatur; tophus vero in osse bregmatis dextro fere integre disparuerat, fluor albus, qui hucusque, licet minus copiosus, duraverat, nunc penitus aberat, & urina erat rubra sine nubecula.

Copiosum potum ægræ commendavi & emulsum refrigerans præscripsi, ut de hoc omni bihorio unc ij. sumeret: pedum plantis epispastica applicata sunt.

Post meridiem ultra tres horas per intervalla dormivit, & noctem præ doloribus capitis valde malam habuit.

10. Mensis die, quæ ærat 4. morbi, pulsus erat minus febrilis: verum capitis dolor intendi videbatur, ac ideo latum vesicans nuchæ applicatum est. Mane alvum bis egesserat coctam, & urina minus rubra, parvam nubeculam in medio gerebat. Continuavit ægra copiose potare, ac præter emulsum dictum, quia tota die insomnis fuerat, ves-

pere unc. 1. syr. diacod. cum laud. liq. syd. gtt. v. assumpsit, a quo secutus est somnus quatuor horarum.

5. Morbi die febris admodum lenis erat; lingua humida, cutis antea sicca, nunc æqualiter sudore madebat: dolor tantum in sinistra capitis parte, ubi antea illum attactu augeri memini, permanebat, & miseram eadem sævitie, non obstante valida vesicantis operatione excruciabat.

Abrasis capillis loco dolenti fomentum calidum ex aqua, aceto, vino & sale ammoniaco applicuit expertissimus Chirurgus, & loco emulsi sumpsit ægrca onserv. antiscorb, cui pulv. cortic. & ligni sassafr. dr. 1. ß. & stib. diaph. o. abl. dr. 1. additæ erant.

6. Morbi die sive 12. Decembris apyretos erat, verum dolor idem permanebat, & paucum somnum capere poterat.

Dictis medicamentis continuatum est ad 20. Decembris absque levamine.

20. Loco dolenti abrasis de novo capillis emplastrum de meliloto applicuimus, & nuchæ alterum vesicans: sequenti die mane haustum purgantem N. 10. sumpsit, unde octies copiosa

alvus mota fuit, verum hæc omnia nullum levamen attulerunt.

Patebat materiem morbosam tenacem vascula cranii vel pericrarii admodum pertinaciter obstruere, cum hucusque adhibita solventia & revellentia nullam mutationem effecissent. Hinc ad extractum cicutæ quod princeps inter solventia & aperientia toties in aliis casibus, ac etiam in hac ægra deprehenderamus, redire statuimus, & priorem cicutæ dosin pilul. nempe N. 6. gr. iv. bis de die sumendas exhibuimus; locum dolentem emplastro de meliloto tectum servavimus.

Hac methodo ad finem Januarii continuatum est, & ægra quoad omnia, præter dolorem illum in cranio fixum, sat bene habuit: alvus quotidie semel vel bis prodiit; parum sitiit, appetitum bonum acquisivit.

Circa medium Januarii, cum prius aperti tumores fere integre cicatrice obducti essent; aperti sunt duo alii, qui quoque suppurati pus dilutum flavum dederunt; verum sub finem Januarii alter novus renatus est in latere colli sinistro. His tumoribus emplastrum & fomentum de cicuta ante & post aperturam continuo applicabatur.

Initio Februarii ter de die pilul. N. 6. gr. iv. incœpit ſumere, & externe loco dolenti empl. veſicans appoſitum eſt, quod multum ſeri eduxit, unde aliquod levamen percepit ægra: locum apertum & fluentem ſervavit Dominus HAFFNER per 15. dies: verum dolor permanſit, & renaſcente epidermide ad priorem acutiem rediit, purgante, quod ob alvum non reſpondentem ter dari debuit, nullo modo lenitus. Sat tamen pacatas noctes habebat ægra, & in reliquis functionibus vix læſio animadvertebatur; locus emplaſtro de cicuta tectus manebat.

Sic fuit ad finem uſque Februarii.

Toto menſe Martio eademin terne & externe adhibita ſunt, per quod tempus ſequentia obſervanda fuerunt. Scabies, quæ hucuſque perſtiterat, imo aucta fuerat, diſparuit, ſex tumores, qui aperti erant, cicatricem fœdam formarunt: alter apertus eſt, & eandem materiam dedit, ac priores: dolor capitis obtuſior factus eſt, in loco autem capitis dolente externa mutatio nulla aderat.

Sexta Aprilis, cum eadem medicamenti doſi pergeret uti, locus dolens incœpit elevari & tumorem formare

oblongum, duriusculum, figura & crassitie ad ficum mediocrem accedentem: hoc viso locus emplastro cicutæ tectus, decocto ejusdem plantæ incœpit continuo foveri & interne eandem dosin extracti perrexit sumere.

12. Menses, quibus per plures annos caruerat, prodierunt, & per tres dies & medium debite fluxerunt, nec sub horum fluxu ægra cicuta abstinuit.

20. Tumor major erat, mollior & obscura fluctuatio in eo detegebatur.

Sub finem Aprilis sponte facta est parva apertura, ex qua paucum pus dilutum flavescens, subfœtidum, exstillabat cum doloris levamine.

Præter priorem extracti cicutæ dosin incœpit tunc ægra quater per diem unc. iv. decoct. lignor. sumere.

Perrexit tumor magis magisque molliri; paucam tamen fundebat materiæ copiam, quæ cum sensim fœtida magis fieret, & metueremus, ne os, quod suæ corruptionis signa manifesta dabat, latius inficeretur a retenta sub integumentis materia acri putrida. 5. Maii aperturam majorem fecit expertissimus Dominus HAFFNER, ex qua tria frustula ossea friabilia cum pure tenui, flavescente, fœtido prodierunt; pro-

ſunditatem dein ulceris ſtylo examinans in ipſum cranii cavum penetravit ad duram matrem uſque, quam pulſantem ſentiebamus.

16. Maii dum ad noſocomium veni, omnia purgaverat Dominus HAFFNER, & corrupta prudenti manu aufferendo, foramen in cranio ibi loci integre corrupto & fragili fecerat rotundum circiter magnitudine monetæ, quam ſeptimam dicimus, per quod magna duræ matris pulſatio, pulſui in carpo correſpondens conſpectui ſe objiciebat: ac licet tantum ante bihorium deligaſſet, tamen pulſans dura mater copioſam adhuc materiam ex cranio foras trudebat, tenuem, purulentam, ſubflavam, ſubfœtidam. Hæc materia, dum caput in ſiniſtrum latus inclinabatur, fere continuo rivo effluebat, tuſſis quoque ceſſantem materiæ effluxum de novo reſſuſcitabat.

Tota pars lateralis ſiniſtra capitis & media frontis pars dolorifica erat; oculi ejuſdem lateris palpebræ tumebant; oculus, qui valde retrotractus ob palpebrarum tumorem videbatur, acute dolebat; oculus dexter ſanus erat; integumenta capitis ad pollicis latitudinem a foramine circumcirca abſcedebant,

quorum pars propinquior foramini in ſphacelum abierat; reliqua vero, licet male affecta, adhuc aliquid ſani conſervabat. Partem ſphacelatam abſcidit expertiſſimus Chirurgus & reliquam hinc inde diſciditne materies acris ſub illis retenta, os magis corrumperet.

15. & 16. Maii pro medicamento tantum dictam doſin decocti lignorum cum media parte lactis habuit; ac pluries de die ob materiæ copiam ulcus deligari debuit: poſt quamcunque deligationem linteis carptis balſamo peruviano medicatis tegebatur & lintea quadruplicata decocto cicutæ impraegnata deſuper applicabantur.

17. Inveni ægram delirantem cum pulſu celeri, inæquali, molli: reſpiratione frequenti, lingua arida, ſiti, & appetitu magnis; alvum noctu bis depoſuerat coctam, urina erat rubra, ſine nubecula, cutis humida.

Pro medicamento claretum uſitatum habuit, & emulſionem cum diacodio alternis vicibus ſumendam; copioſe potavit ægra decoctum hordei, rad. bardanæ & acetoſæ.

Per quinque dies ſumpta hæc medicamenta nihil in ægra mutarunt, manſit enim delirium, pulſus idem &c. mate-

ries ejusdem notæ ac antea copiose effluxit, delirium quoque continuum non abstulit sensum doloris, quem in ossibus frontis, bregmatis, ac temporis sinistri, oculoque percipiebat hisce diebus a tumore livescente palpebrarum fere obturato, subinde tamen ægra somno per horæ unius spatium & ultra capiebatur minime reficiente.

22. Quæ erat sexta febris, cessavit capitis dolor; materies minori copia ex cranio effluxit, sed ægra incœpit angi, & brevi spirio laborare, pulsus factus est debilis, intermittens, & ægra vix poterat loqui; alvum coctam mane deposuit; urina vero tempore nocturno missa, pallida erat.

Hac die usa est emulsio N. 17. cujus duplex dosis omni trihorio illi propinabatur: bina vesicantia suris applicata sunt, & ter tempore diei unc. j. syr. diacod. assumpsit, ut spasmi forte a materia acri circa vitalia & alibi excitati relaxarentur, & functionum exercitium liberius relinquerent.

Post mediam noctem per trihorium dormivit, ac copiose sudavit.

23. Mane inveni ægram facile spirantem cum pulsu magis pleno non amplius intermittente; minus delirabat,

& obtusum capitis dolorem conquerebatur; lingua humescebat, urina subfusca enæorema nigrescens in fundo gerebat; tota superficies corporis maculis scatebat partim petechias rubras, partim maculas latas scorbuticas, subfuscas referentibus; materies ex cranio effluebat, ut die præcedenti.

Loco emulsi camphorati omni bihorio alternatim cum clareto N. 8. sumpsit duo cochlearia sequentis mixturæ.

℞. Aq. flor. rhæad. unc. vj.
Extract. cort. peruv. dr. v.
Aceti vin. dr. vj.
Syr. diacod unc. j.
M.

Simul copiosum potum continuavit ægra haurire.

His medicamentis utens in eodem statu permansit ægra ad 27. Maj. qua multæ maculæ tam ex rubris quam ex subfuscis disparuerant, & reliquæ omnes flavescebant: post diem tamen hujus morbi septimum urina fuit naturalis & alvus omni die cocta deponebatur.

28. Pulsus erat fere naturalis, delirium aberat, palpebrarum oculi sinistri tumor minor colorisque minus livescentis: pergebat tamen obtusus capitis dolor: foramen cranii specie membranæ

ſpiſſæ, mollis fere integre obturabatur, nec ulla amplius ex cranio materies effluebat: ex ambitu autem foraminis continuabat aliquid purulenti prodire.

Diem 29. ſine moleſtia tranſegit, ſæpius pacate dormivit, & cibos leviores cum appetitu ſumpſit. In methodo medendi nihil mutatum eſt.

30. Maculæ omnes diſparuerunt, & omnes functiones ad ſtatum naturalem rediiſſe videbantur.

Perrexit tamen, ut ante, ad quartam Junii clareto & mixtura cum extracto corticis peruviani uti. Dein omni medicamento abſtinuit, & cibis aptis per 14. dies nutrita, vires optimas recuperavit.

Paucum toto hoc tempore pus, idque bonum dederunt ſuppurantia integumenta: foramen in oſſe factum penitus obturatum erat ſubſtantia membranacea molli, ſenſim magis magiſque indureſcente, & circa 20. Junii jam quaſi cartilago digito prementi reſiſtebat: os nudatum integumentis album erat, & fomento cicutæ diligenter tegebatur. Dolor nullus, niſi in illo loco, ubi os integumentis orbatum erat: oculus optimus, & nullum palpebrarum tumoris veſtigium remanebat.

Manſerunt autem duo tumores, nu-

ces juglandes italicas magnitudine æquantes; in latere dextro colli, secundum asperam arteriam siti, & duæ cicatrices aliorum tumorum duræ, ob nimiam elevationem aspectu fœdæ: unde rogavit ægra, ut darentur ipsi denuo pilulæ de cicuta. Incœpit iterum bis de die pilul. N. 6. gr. IV. sumere: vitulina & similibus facilioris digestionis cibis nutriebatur: initio Julii bubula ipsi etiam concessa fuit cum appetitus valde magnus & omnes functiones bonæ essent.

10. Julii cicatrices mollitæ pus tenue albescens fundebant, unde loco fomenti, quod ab eo tempore, quo cicuta iterum incœperat uti, applicatum fuerat, solo emplastro cicutæ tegebantur.

15. Tumor superior integre suppuratus sponte apertus est, & nihil omnino duri post puris subflavescentis, striis fuscis intermixti effluxum superfuit.

20. Alter tumor eodem modo evacuatus est: in cicatricibus antea elevatis & duris duorum prius apertorum tumorum elevatio conciderat, & durities disparuerat; hinc omnia emplastro dyachilon cum gumm. tecta, omni die deligata pus bonum dabant.

Nihilominus dolor in osse denudato

poſt quemque motum corporis vel animi ſolito majorem, ægram vehementius afficiebat: os nudum maxima ſui parte nigreſcebat, & lamina ſuperior in illa parte, quæ ſubſtantiæ foramen cranii obturanti & nunc valde duræ adhærebat, elevari videbatur; fomento tamen cicutæ continuo tegebatur.

Omnia hoc modo continuata ſunt ad 24 Auguſti abſque ulla in medicamentis mutatione, ſi bis ob alvum nimis tardam toto hoc tempore repetitum hauſtum num. 9. excipias.

24. Auguſti laminam oſſis, prope foramen olim in cranio exiſtens magis elevatam & hiantem, ſine magno molimine ab inferiori lamina ſeparavit egregius noſocomii Chirurgus: ſub hac vaſcula extenſa ſpeciem carnis referebant; foramen autem in cranio factum oſſeam reſiſtentiam habebat: locum valde ſenſibilem texit Chirurgus linteis carptis fomento cicutæ madidis.

Ægra hoc facto quieta in lecto jacens cicuta abſtinuit uti & carnibus, ac tantum levioribus alimentis uſa, pro medicamento habuit emulſionem diacodiatam. Pulſus erat paulo celerior naturali, & capite dolebat, ubi lamina ablata

ablata erat; sequenti die aliquid puris linteis carptis adhærebat, nihil tamen nec interne nec externe in methodo medendi mutatum est ad primam Septembris; qua die, cum omnes functiones optime peragerentur, nullaque ex abscessu cranii amplius materies prodiret, ac parvus tantum dolor adesset, emulso abstinuit: quieta tamen in lecto jacere continuavit, & jusculis, aliisque facilis digestionis cibis ali: ulcus linteis carptis fomento cicutæ imprægnatis tectum servabatur.

Quinta & 6. Septembris alvo caruit; appetitus minor factus est, & dolor capitis increvit: assumpta autem 7. Septembris rhei electi dr. 1. alvum quinquies subduxit, appetitum restituit, & capitis dolor quoque minutus est.

9. In omni ambitu ulceris rudimenta cicatricis apparebant: medium autem ulceris paulo minus excrescebat, nihilominus tamen idem externe continuavit applicari.

14. Cicatrix se sensim magis versus medium ulceris extendebat, verum in medio elevatio nimia erat, & vascula in speciem carnis fungosæ degenerabant, ideo fomento cicutæ aqua calcis substituta fuit.

Hoc modo intra quatriduum collapsa est illa eminentia, & quod cicatrice non erat obductum, crusta incepit tegi: solum postea emplastrum cicutæ externe applicatum est, & denuo licuit ægræ surgere & majori ciborum quantitate vesci.

24. Magnificus Dominus *Storck*, qui totam curam vidit, & cum quo sæpius super hac ægra consilium habui, ægram mecum examinavit.

Totus locus capitis post laminæ externæ separationem speciem carnis referens, nunc ubique, parte etiam illa non excepta, quæ crusta tecta erat, valde durus erat, ossisque naturam multum imitans; ægra, licet gracilis esset, bene valebat, nullum dolorem conquerens: omnes colli tumores cicatrice obducti erant, in aliquibus tamen crassa, aspectu admodum fœda: hinc suasit magnificus vir, ut ægra denuo inciperet bis de die extract. cicutæ scr. I. sumere, ac simul quater de die decoct. lignor. unc. iij. cum anatica lactis parte sumeret. Cicatrices denuo emplastro cicutæ tegebantur. His utens optime habuit, & sensim corpori major torositas & vires majores renatæ sunt.

11. Octobris illustrissimus Præses præ-

ter alios ægros cicuta jam per aliquod tempus utentes, vel incipientes uti, hanc etiam examinavit, ac audita partim ab ægra, partim a nobis morbi historia, gaudium testatus est de felici hujus curæ successu.

Ægra pergens dictis medicamentis uti circa medium Novembris menses habuit, qui tunc per quatuor dies, postea vero regulariter omni mense fluxerunt.

Ab eo tempore decocto lignorum non amplius usa est, sed quotidie extracti cicutæ scr. 1. ea spe, ut cicatrices, quæ continuo emplastro cicutæ tegebantur, in sua crassitie minuerentur: verum licet 28. Novembris ad medium Decembris usque quædam aliquid aquosi stillarint, non mutabantur; unde cum 17. Decembris illam examinantes omnes cicatrices siccas inveniremus, femina postea cicuta abstinuit.

2. Januarii placuit iterum illustrissimo L. B. *Van Svvieten* ægram examinare cum pluribus, qui aderant, celeberrimis medicis & chirurgis: in loco cranii, ubi os abscesserat, omnia ossea prædita duritie invenit, omniaque in collo consolidata. Ægra cæterum optima sanitate fruebatur: unde brevi postea dimissa

est, & mense Augusto mortuo marito iterum inivit matrimonium, ac octava Januarii 1763. optime valens in Saxoniam profecta est.

CASUS NONUS.

JUVENIS 19. annorum 11. Novembris ad nos delatus est. Hic post frigidam æstuanti corpori mense Julio copiose ingestam, incœpit ventriculo dolere, appetitu languere, & post assumpta grave pondus in ventriculo percipere. Assumpsit quidem varia tum a medicis, tum etiam ab aliis hominibus, ut ventriculi, ut putabat, debilitatem corrigeret: verum nihil ipsi levamen attulit: potuit tamen utcunque opificio sartoris, quo panem lucrabatur, sufficere usque ad finem Augusti, quo tempore incœpit post assumpta valde angi, & ventriculo dolere, subsequente sæpius post duas vel tres horas assumptorum vomitu: cum autem juscula & lacticinia ac similia facilioris digestionis alimenta non rejiceret, se his sustentavit ad 6. Novembris usque, qua & hæc quoque levissima vomitu sæpius per diem repetito rejicere incœpit, quod continuavit,

donec ad nosocomium totus emaciatus adferretur.

Aiebat, se omni secundo vel tertio die alvum deponere, pulsus erat debilis; in epigastrio circiter duos pollices infra cartilaginem xiphoideam tangebatur corpus durum, mediocris magnitudinis, profunde situm.

Statim usus est decoct. rad. sal. cum laudano, enema ipsi injectum est, quo alvus cocta educebatur. Cibus fuerunt Juscula carnium, leves panatellæ; potus lac cum decoct. hordei.

Hac methodo effectum est, ut primo die tantum bis vomuerit, 2. die semel, tertium diem sine vomitu transegit: noctu tamen prægressa magna anxietate bis debuit vomere. 4. die 15. Novembris cum de nullo dolore conquereretur, & abdomen utcunque tensum esset, dedi ipsi sequens.

℞. Aquæ laxat. D. V. unc. v.
Syr. rosarum solut. dr. v.
Spir. nitri dulc. gtt. x.
Sal. polychr. dr. ß.

M.

Ut omni $\frac{1}{4}$ horæ cochleare sumeret, donec inciperet purgari.

Enema quoque ipsi injectum est hoc modo: septies vel octies optime purga-

tus est, ac vespere assumpta syr. diacod. unc. 1. noctem quietam habuit. Per 4. dies usus est lenissimis solventibus paregoricis, inde autem auctus est ventriculi dolor & vomitus frequentior factus.

23. Novembris dedi ipsi mixturam sequentem intra biduum assumendam.

℞. Etract. cicut. dr. j.
Laud. liq. sid. scrup. j.
Aq. flor. rhæad. unc. vj.
Syr. papav. alb. unc. ß.
M.

Æger eadem ac ante diæta usus est: intra quatriduum vomitus penitus cessavit, & alvum omni die sponte deposuit: dolores multum minuti sunt; corpus illud durum adhuc tamen ut antea in epigastrio percipiebatur.

17. Novembris loco mixturæ incœpit bis de die extracti cicutæ in pilul. redacti gr. xvj. sumere.

Sensim inde ita mutatus est, ut 7. Decembris nullum amplius doloris sensum perciperet, & cibi hucusque concessi appetitui minime sufficerent: comestis autem carnibus valde anxius fuit, ventriculo doluit, ac noctem inquietam transegit; quapropter præter paucum panem, & leviora olera priori diætæ nihil additum est.

Interim eandem extracti cicutæ dosin omni die sumpsit, & 16. Decembris cum optime quoad omnia haberet, appetitusque validus esset, nec tactu præternaturale quid in regione epigastrica detegeretur, carnes teneriores denuo concessæ sunt, quas æger sine incommodo ferre potuit.

26. Decembris incœpit carne bubula & aliis durioribus cibis vesci, a quibus nec minimum incommodum habuit.

Sumpsit prædictam cicutæ dosin usque ad 6. Januarii: tum habitus corporis & vires optimæ erant, hinc nosocomio discessit, promittens se statim ad nos rediturum, si aliquid prioris mali denuo perciperet.

CASUS DECIMUS.

VIR 40. annorum mense Augusto ad nosocomium venerat cum magno ulcere scorbutico, quod in cruris dextri parte externa jam ab anno gerebat: inferior præterea pars cruris una cum pede tumore duro occupabatur, ita ut æger continuo decumbere deberet.

Omnibus adhibitis in tali casu usitatis medicamentis nihil spatio trium men-

sium effecimus. Hinc, quid cicuta interne & externe applicata in hoc homine efficeret, experiri statuimus.

Itaque 19. Novembris incœpit bis de die extracti cicutæ gr. xvj. sumere; ulceri lintea carpta infuso cicutæ madida applicata sunt, ac desuper linteum quadruplicatum ejusdem decocto imbutum tepide omni bihorio renovandum.

Erant tunc pes & crus æque tumida, ac dum primo illum videramus: ulcus autem magis proserpserat in omni dimensione: margines hinc inde exesi erant, & ex fundo ulceris plura parva tubercula exsurgebant: color variegatus erat, materies ex ulcere effluens saniosa, ac æger magnos dolores patiebatur; functiones tamen vitales & naturales sat bonæ erant.

Sensim ita mutatum est ulcus ut 27. Novembris coloris rubelli fuerit, cum pauca inæqualitate in fundo, pes etiam & crus minus tensi erant.

6. Decembris jam fundus ulceris elevabatur: loco saniei, quæ hucusque effluxerat, pus tenue aderat, tumor pedis & cruris multum minutus erat, & æger extra tempus deligationis nullum amplius dolorem percipiebat.

Eadem methodo tam interne quam

externe usi fuimus ad 20. Decembris, quo tempore centrum ulceris paucum pus bonum fundens cum marginibus in æquali altitudine erat; margines vero albescentes incipientem cicatricem ostendebant; omnis quoque tumor pedis & cruris disparuerat.

Cessavit tunc æger cicuta uti, & externe ulcus solo emplastro de cicuta tegebatur; tantum omni sexto die haustum purgantem sumpsit, quem etiam tempore, quo cicuta utebantur, omni sexto vel saltem septimo die sumpserat.

Hoc modo circa medium Januarii optima cicatrix formata erat; æger sanus & robustus tota die extra lectum manebat, sæpius ambulans & aliis inserviens & denique sub finem Januarii, cum ad labores aptus esset, discessit.

CASUS UNDECIMUS.

FEMINA nata annos circiter triginta ad nos 31. Decembris anni 1760. delata, habebat mammam sinistram duram, scirrhosam, lividam, dextra volumine triplo majorem, ac tam vehementer dolentem, ut inde respiratio multum læderetur.

Quanto tempore dura fuerit mamma antequam dolor accesserit, ignorabat ægra; aiebat tamen jam dudum se majorem in hac mamma tensionem animadvertere, quam in altera, septimamque nunc esse hebdomadam, ex qua incœperat dolore & manifeste videre molem augeri.

Dolor initio non erat continuus, sed subinde tantum acutissime lancinans, ut ægra fere in animi deliquium caderet. Sensim adeo increverat, ut jam ab occiduo, dum ad nos deferretur, continuo urens aut lancinans eam diris cruciatibus torqueret; admodum emaciata erat & coloris valde cachectici, viresque ita collapsæ, ut vix superesset curationis.

In hoc statu dedi illi decoctum sarsapar. cum syr. diacod. unc. 1. ß. & mixturam sequentem.

℞. Aq. flor. rhæad. unc. vij.
extract. cicut. dr. j.
syr. diacod. unc. j. ß.

M.

S. Ut omni bihorio duo cochlearia sumat.

Totum assumpsit intra 24. horas, quo tempore diligentissime fomentum cicutæ applicabatur.

His effectum est, ut sequenti die do-

lores multum minuti fuerint, & ægra per intervalla parum dormierit.

Iisdem medicamentis usa est, per sex dies, cum magno dolorum levamine; appetitus, qui duobus primis diebus nullus erat, redivit, juscula, panatellas & alios leviores cibos libenter assumpsit, & protractiorem somnum habuit.

Die 7. sive 6. Januarii mamma pluribus in locis incœpit exulcerari, ac copiosam saniem valde acrem fundere; fundus & labia ulcerem erant plumbea: rarus tunc lancinans dolor; verum aiebat ægra se in tota mamma præcipue in locis exulceratis dolores admodum urentes pati.

Cum mutationem in melius animadverterem, nec a cicuta aliquid in corpore turbari videretur, duplam cicutæ dosin dr. ij. nempe quotidie absumendas in mixtura præscripsi: usa est præterea ægra copioso lacte aquæ puræ, vel decocto supra memorato sine diacodio, mixto. Externe emplastrum de cicuta applicatum est, & tota mamma fomento cicutæ continuavit foveri.

Hac methodo de die in diem res in melius vertebatur, & 19. Januarii, cum mecum ægræ adesset magnificus domi-

nus *Storck*, materies saniosa in pus dilutum mutata erat, ægraque admodum parvos dolores patiebatur; massa scirrhosa mediam suæ molis partem amiserat.

Ostendit nobis quoque tunc ægra glandulas subaxillares (de quibus antea nullam mentionem fecerat) tumentes, non admodum duras, quas aiebat se jam in tertium mensem multo majores & duriores absque magno incommodo gerere.

Hæc videntes in methodo medendi nihil mutandum esse conclusimus: concessum tantum fuit illi quotidie aliquid levioris carnis.

Sub usu medicamenti vires sensim increverunt: dolor cachecticus disparuit & appetitus ita auctus est, ut circa medium Februarii, quo tempore molis duræ partim resolutione, partim suppuratione consumptæ vix quarta pars supererat, carnes debuerint illi majori copia concedi.

Nullo malo symptomate turbata fuit cura, unde toto mense Februario extracti cicutæ dr. ij. quotidie sumpsit.

Initio Martii cum jam admodum parum de duritie superesset, tantum bis de die extracti cicutæ in pilulas redacti

ſcr. j. ſumpſit, quod continuavit ad 16. menſis, quo tempore omnia mollia erant, & ulcera maxima parte cicatrice obducta unde cicuta non amplius uſa fuit.

A 14 Januarii, qua primum adverti pus loco ſaniei ex mamma ulcerata prodire, pus omni die melius evaſit, donec optimum eſſet: verum ea quantitate non prodiit, ut poſſet credi, maſſam ſcirrhoſam ſuppuratione conſumi, quin potius manifeſte patebat per reſolutionem maximam molis duræ partem diſparere.

Intra trimeſtre ſpatium penitus curata fuit & præter cicutam & diætam convenientem illi toto curæ tempore adminiſtratum eſt nihil, ſi purgans lene quinquies toto curæ decurſu excipias, quodque tamen ideo tantum adhibitum eſt, quia ægra de aliquo gravamine circa præcordia, forte a cibis ob defectum exercitii corporis nimis diu in ventriculo hærentibus orto, conqueſta eſt.

Magnificus *Storck* tempore curæ hanc ægram ſæpius vidit, ac integræ & celeris curationis teſtis fuit: vidit quoque illam pluries celeberrimus anatomiæ profeſſor Dominus GASSER, qui eo tempore ſæpius noſtrum noſocomium

accedebat, & cujus consilio in gravibus casibus sæpius usus sum: Viderunt illam & multi alii doctissimi & celeberrimi viri tam Chirurgi quam Medici.

CASUS DUODECIMUS.

JUVENIS 17. annorum 19. Januarii 1760. ad nos venit cum tumore duro scirrhoso paroditis dextræ, quem jam a biennio gerebat sine dolore: cum cæteroquin sanus esset, statim primo die incœpit extracto cicutæ uti, cujus dosis per octiduum fuit gr. xvj. bis de die: externe toto diei tempore fomentum cicutæ applicabatur, noctu vero emplastrum diæta nulla peculiaris præscripta fuit, sed cibis solidioribus potuit vesci.

25. Januarii incœpit ter de die extracti cicutæ gr. xvj. sumere, quæ dosis paucis diebus postea ad dr. j. aucta est, eo cum effectu, ut circa medium Februarii formicationes & leviores lancinationes in scirrho subinde perceperit, 24. Febr. sumpsit haust. N. 9.

26. Incœpit denuo ter de die extracti cicutæ scr. j. sumere & perrexit ad 2. Martii: permansit formicatio, & subinde repetens levior lancinans dolor: tumor

de sua duritie multum amiserat, nec mole augebatur. Unde

2. Martii eumdem haustum sumpsit, quo optime purgatus est, & sequenti die denuo priorem medicamenti dosin.

6. Videbatur tumor mole minui: quod 9. ita manifestum erat, ut de futura resolutione magnam spem haberemus.

Postea omni 6. die ægro purgans datum est: reliquo tempore quotidie dr. j. extracti cicutæ sumpsit.

Hoc modo ita sensim durities & moles tumoris disparuerunt, ut 12. Aprilis locum tumoris penitus mollem viderint magnificus STORCK & doctissimus Medicus Laurentius HOFFMANN, aliique plures; flaccida tamen cutis speciem tumoris parum elevati præ se ferebat, quem frustra roborantibus & penetrantibus medicamentis externe applicatis per 15. dies conati fuimus auferre; unde æger lætus de felici cura hanc parvam deformitatem flocci fecit, & ex nosocomio sanissimus discessit: toto tempore, quo cicuta usus est, alacris fuit, & omnes corporis functiones optimæ manserunt.

Casus Decimus tertius.

Puer 13. annorum jam a semi-anno genu sinistrum tumidum durum habebat cum impedito cruris admodum emaciati motu: tentavimus sine effectu fomentum factum ex sale ammoniaco, vino, aceto, & aqua per tres hebdomadas, licet quoque interne varia solventia simul exhiberentur: quapropter statuimus cicutam in opem vocare.

Incœpit 3. Februarii binas pilulas extracti cicutæ mane & totidem vespere sumere, quarum quælibet gr. iv. erat, & externe genu decocto cicutæ diligenter fovebatur.

10. Cum æger medicamentum optime ferret, ter de die eandem dosin sumpsit.

12. Leniores dolores subinde repetentes in genu percepit: quoad reliqua autem sat bene habebat.

15. Pergebant illi dolores, & genu minus durum erat, crusque nonnisi cum femore antea movendum retrorsum & antrorsum parum moveri poterat.

16. Purgans sequens sumpsit.

℞. Folior. alexandr. dr. ij. ß.

ſal. polychr. dr. ß.
mann. calabr. dr. vj.
flaved. cortic. aurant. gr. xv.
M. inf. c. aq. fervid. q. ſ. p. $\frac{1}{2}$ hor.
vaſe clauſo, colat. unc. ij. ß. d. u.

Ab hoc hauſtu octies purgatus eſt; ſequenti die tantum per intervalla dolebat, & cruris motus liberior erat.

Priori cicutæ doſi iterum uſus eſt ad 21. Februarii, quo manifeſte patebat genu molliri, & mole minus fieri. Sumpſit iterum priorem hauſtum optimo cum effectu.

Perrexit ſic omni ſexto die purgans ſumere, utens intermedio tempore dicta pilularum doſi.

Initio Martii facile in omnem partem manu ducebatur; crus quoque poterat parum flectere & extendere, tumorque ultra mediam partem minutus erat, & reſiduum molle.

Eodem tamen modo uſus eſt medicamentis uſque ad 20. ejuſdem menſis, qua omnis tumor diſparuerat, ſuperſtite tantum partis flacciditate, quæ fomentis & emplaſtris roborantibus per quindecim dies applicatis ita correcta fuit, ut æger, qui jam ab initio Martii baculo adjutus leni gradu per cubiculum ambulare potuerat, tunc ſine baculo incedere poſſet; imo &

ſcalas ſat facile aſcendere & deſcendere: manſit tamen in noſocomio uſque ad 23. Aprilis, qua saniſſimus noſocomium dereliquit.

Casus Decimus quartus.

PUER 19. annorum 10. Februarii ad nos venit, narrans ſe ante annum plures glandulas in latere colli dextro tumidas habuiſſe, quæ applicatis variis emplaſtris & cataplaſmatibus ad ſpeciem ſuppurationis deductæ fuerunt poſt quatuor menſes ab illarum ortu: effluxerat autem pus ſanioſum & maſſa dura tantum pro parte conſumpta inde fuerat, licet poſt aperturam continuata ſunt varia emollientia & ſolventia.

Dum primo illam vidimus, plaga affecta in longitudine circiter tres pollices æquabat; latitudo pauliſper minor erat; ex tribus parvis foraminibus, quæ examinata veras fiſtulas monſtrabant, materies ichoroſa effluebat: interſtitia foraminum lignea duritie digitis reſiſtebant.

Ægra cachectica erat, & jam a quatuor menſibus carebat menſtruo fluxu.

Ilico datæ ſunt illi quatuor pilulæ ex-

tracti cicutæ bis de die, quarum quælibet gr. iv. externe diurno tempore fomentum de cicuta continuo applicabatur, ac bis de die in fistulas decoctum cicutæ leniter injiciebatur.

20. Februarii loco ichoris per dilutum albescens ex fistulis effluebat, totus tumor minus durus erat, & fistularum orificium simul cum tumore multum mollitum: cum tamen appetitus minueretur, imo carnes recussaret ægra, rhei dr. j. mane ipsi data est, 21 Februarii, dein sequenti medicamento usa est.

℞. Conserv. menih. unc. ij. ß.
Cortic. winteran. dr. j. ß.
Pulv. rad. helen. dr. ij.
syr. cort. aurant. unc. ß.
M.

S. quater de die dr. ij. sumat.

Sub usu hujus medicamenti appetitus renatus est, & 25 Februarii potuit denuo uti cicuta, cujus usus externus non interruptus fuerat.

Optime tulit ægra cicutam, & sensim totus habitus corporis ita mutatus est, ut color cachecticus ante medium Martii in colorem sanum mutatus esset, tumor quoque multum minutus: disparuerat etiam fistularum callositas & illarum cavitates implebantur.

27. Ejusdem Martii menstrua prodiere, quæ per triduum fluxerunt, & de toto tumore tantum supererant tabercula duo, nucis avellanæ majoris magnitudine, quæ duritiem servabant: reliquum tumoris partim suppuratione, partim resolutione sublatum erat: nullus quoque aditus amplius in loca antea cava patebat, licet ulcuscula adhuc pus paucum funderent.

4. Aprilis rudimenta cicatricum in ulcusculis conspicua erant & intra 15. dies cicatrices perfectæ fuerunt; totus locus tumoris collapsus erat, & mollis.

26. Menstrua eodem modo habuit, ac mense Martio, quibus elapsis cum optime haberet, ad suos rediit.

Casus Decimus Quintus.

JUVENIS 26. annorum ad nos 25 Februarii delatus habebat horrendum tumorem cancrosum in parte faciei dextra.

Fœdus hic tumor, qui altius pertingebat, quam est angulus oculi, ad duos digitos transversos infra angulum maxillæ inferioris descendebat, totumque spatium a duobus digitis ab occipite ad angulum fere oris occupabat: in medio

exulceratus labiis retorridis fœdissimo livore horrorem pariebat: occupabant quoque artus plures tumores duri, lividi: juvenis iste aiebat, se a nativitate tuberculum pisi magnitudine in media gena gessisse colore rubrum, duobus pilis instructum: nullum tamen se unquam inde habuisse incommodum, donec ante biennium æquus, quem collo prehenderat, capite nævum maternum contudisset, unde statim incœperat dolere.

Sensim moles aucta est tuberculi, & pro ratione incrementi intendebatur dolor: quapropter 10. diebus a contusione elapsis levamen quæsiturus balneatorem accessit miser, qui primo tumorem filo circumduxit: cum autem ob ingentes dolores illud ferre non potuisset, variis spirituosis, acribus, imo ipso lapide infernali malum auferre tentavit, & hoc modo effecit, ut brevi spatio magnæ molis cancer faciem occuparet.

Præfuit tamen solitis laboribus usque ad mensem Octobrem anni 1760, quo tempore, præ doloribus acutissime lancinantibus nec minimam quietem habere valens, auxilium imploravit ab expertissimo Domino *Leber* nunc Chirurgiæ professore publico, qui illi bis de die

gr. xv. extracti cicutæ dedit, ac externe per diem partem decocto cicutæ foveri jussit, noctu vero locum emplastro cicutæ tegi: quo modo continuavit fere per quinque menses eo cum effectu, ut dolores multo tolerabiliores fierent, & per plures horas noctu somno reficeretur.

Cum tamen victus ipsi deficeret, & non posset ea exactitudine mali habere curam, quæ requirebatur, ad nos venit 25 Febrnarii multum febricitans.

In causam autem febris inquirentes, experti fuimus, illum vesperi diei præcedentis multum vini cum amicis hausisse, ac carnes salsas, fumo induratas copiose comedisse: unde illico ipsi haustus purgans datus est, qui decies alvum movit magno cum febris levamine. Vespere emulso usus est refrigerante, & die sequenti apyretos erat.

Jam die præcedenti applicata fuerant fomentum & emplastrum de cicuta, primum nempe tempore diurno, alterum per noctem, quod continuatum est.

Cum tantos dolores pateretur, & jam cicutæ assuetus esset, gr. lvj. extracti cicutæ in pilulas gr. iv. redacti binis dosibus, quarum una mane altera

vespere ipsi porrigebatur, quotidie absumpsit usque ad 5. Aprilis, quo tempore dolores evanuisse asseruit; noctu quiete dormiverat, & omnes corporis functiones rite peragebat, tumor mobilior erat.

Perrexit æger eadem cicutæ dosi uti ad diem 17. Aprilis: per totum hoc tempus raro doluit, ac optime habuit: erat tunc tumor mobilior, ac in plures lobulos divisus: medium tumoris ad floreni magnitudinem gangrenescebat, & brevi a reliquo tumore separatum iri videbatur.

Dedi tunc ægro mixt. in qua dissolutæ erant extract. cicutæ dr. iij. cum syr. diacod. dr. vj. intra biduum assumendam.

29. Aprilis pars illa nigrescens penitus excidit relicto foramine, quod nucem juglandem capere potuisset.

30. Aprilis jam illa in parte pus sat bonum incœpit formari.

6. Maii tumor in omni parte ulcerata pus bonum dabat, & manifeste minutus conspiciebatur: æger alacris erat, & quoad omnes functiones bene habebat: nihil in medendi methodo mutatum fuit.

15. Copiosum vinum furtim accep-

tum hausit, unde valde inebriatus est, & sequenti die, licet finita crapula bene haberet, omnis plaga tumoris exsiccata erat, sublata penitus suppuratione: continuavit eadem medicamenti dosi uti ad 22 Maii, sine ullo effectu, unde extracti cicutæ major dosis, drachmæ nempe duæ omni die ipsi datæ sunt: quam dosin quidem sine incommodo tulit: verum inde nulla mutatio in tumore facta est, præterquam quod ex locis minoris ulceratis parum saniei effluxerit.

2. Junii incœpit omni die extracti cicutæ dr. iij. absumere, quas etiam optime tulit sine mutatione.

9. Data est ipsi extract. cicutæ unc. ß. quotidie absumenda, quæ demum intra quinque dies suppurationem in tumore denuo produxit: continuavit eadem dosi uti ad 18 Junii, quo tempore, cum tumor in omni plaga optime suppuraret, tantum medicamenti dr. ij. per diem iterum incœpit sumere, & sit suppuratio per plures dies optima fuit, licet sæpius clam suillas carnes & alias sale conditas vorarit, & vinum hauserit.

25. Multum febricitabat & capite dolebat, pulsus erat durus & plenus; lingua

lingua ſicca ; ſitis magna ; appetitus nullus ; alvus naturalis.

Venæ ſectione libra una ſanguinis educta fuit, qui brevi temporis ſpatio cruſta denſa phlogiſtica tegebatur : pro medicamento aſſumpſit quotidie partitis doſibus rob. ſambuci. unc. ij. cum ſal. polychr. dr. j. nitri puri dr. ß. & copioſum decoct. hordei cum melle potavit, ac cicuta abſtinuit.

Intra quinque dies partim alvo, partim ſudore judicatus eſt ab hoc morbo, qui ſuppurationem tumoris, qui externe omnia continuarunt applicari, ſicut ante hanc febrem, nullo modo interturbavit.

Levioribus cibis debuit veſci ad 8. Auguſti, qua carnes iterum incœpit comedere.

12. Auguſti ſuppuratio jam multum tumoris conſumpſerat, & in omni plaga mollior & mobilis erat : cum vires ſat bonæ eſſent, & ſola externa applicatione medicamenti conſervatam ſuppurationem videremus, decrevimus interne denuo data cicuta naturam juvare : ſumpſit autem tantum bis de die extract. ſcr. j.

Tumore de die in diem magis ſuppurante, & minuto aliquid ſpei conci-

piebamus fore, ut hoc modo totus cancer consumeretur, dum 19. Augusti æger sine licentia vespere ex nosocomio discessit ut Baccho secundum beneplacitum litare posset, quod confessus est sequenti die, dum adhuc crapulosus ad nos rediret: examinato ulcere paucissimum pus hinc inde conspiciebatur: 21. Augusti suppuratio omnino desierat, & dolores lancinantes in tumore percipiebat.

Ab hoc tempore non amplius fuit possibile suppurationem bonam revocare, tantum dolores cicuta leniti sunt: subinde tamen validi fiebant; tumor mole augebatur, unde circa initium anni 1762. pulverem ex aconiti extracto ipsi dedimus, cum a cicuta nullum amplius effectum haberemus: ab illo pulvere leniti sunt dolores, non sublati.

Mense Maio tædio diuturnæ curæ affectus ex nosocomio discessit.

Circa medium Julii ad nos denuo delatus est miserrime habens: cancer in duplo majorem molem increverat; & saniem fundebat: vehementissimis doloribus afficiebatur, & totus emaciatus & cachecticus erat.

Media mensura lact. cum potu ordinario quotidie ipsi dabatur, & varia

medicamenta paregorica ſine magno effectu aſſumpſit : vitam demum miſerrimam ſub finem Octobris finivit.

Casus Decimus sextus.

Femina 80. annorum ob luxatum os femoris dextri ad noſtrum noſocomium ſub finem Martii deferebatur.

Tentavit expertiſſimus Chirurgus omnia quæ repoſitionem juvari potuiſſent, verum cum luxatio jam nimis antiqua eſſet, omnia incaſſum adhibuit. Ob reſpirationem laborioſam, & tuſſiculam, qua afficiebatur, uſa eſt decocto emolliente uſque ad 8. Maii, qua cancer mammæ dextræ, quem ſollicite abſcondebat, ſuo fœtore ſe prodidit. Dolores, quos, ut faſſa eſt, jam dudum patiebatur, ſemper tacuerat, eo, quod malum ſacrum eſſe crederet, quod omni medicamento exacerbaretur.

Medium mammæ latum ulcus fœdum liveſcens multum ſaniei fundens cum labiis retorridis occupabat : mamma duplo major erat ſiniſtra, in omni ambitu duriſſima, livida, & ita dolens, ut ad lenem attactum lacrymaretur. Aiebat ægra, ſe jam ante triginta an-

nos expertam esse hanc mammam duriorem & majorem altera, annum autem tantum elapsum, ex quo incœperat dolere: dolorem sensim magis magisque auctum fuisse, donec ante quinque menses incœperit aperiri aliquo cum dolorum levamine: toto hoc tempore mammam texerat emplastro ab aliqua muliercula accepto, cujus compositionem ignorabat.

Ægræ promisimus levamen dolorum, & spem fecimus curationis, & sic illam adegimus ad ea facienda, quæ ipsi prodesse poterant: pilulas vero assumere recusavit; hinc mixtura sequens ipsi data est.

℞. Syr. diacod. dr. vj.
Extract. cicut. dr. j.
Aq. flor. rhæad. unc. vj.
S. intra biduum absumat.

Externe lintea carpta ulceri cancroso applicabantur decocto cicutæ imbuta, & tota mamma eodem per diem diligenter fovebatur: noctu autem linteis carptis emplastrum cicutæ imponebatur, sicut & toti mammæ, mane denuo decocto cicutæ fovendæ.

11. Maii dolores erant minores, melius dormiebat & majori cum appetitu carnes teneriores & alios cibos assume-

bat: alvus sponte omni die prodierat & somnus erat multo pacatior, modo in latus dextrum decumberet.

12. Aucta est cicutæ dosis ad scr. ij. per diem: hac dosi usa est ad 20 Maii magno cum dolorum levamine, & sine ulla functionum perturbatione: mole eadem videbatur mamma, verum margines cancri loco saniei pus tenue flavescens fundebant, & medium ulceris nigrescebat.

21. Extract. cicutæ dr. j. omni die sumere incœpit sine corporis mutatione: sensim autem mamma in omni ambitu mollescebat, medium ulceris continuabat nigrescere & ichorem dare, dum margines sat bonum pus fundebant. Sic fuit ad medium usque Junii, quo tempore pars pollicis longitudine pectori contigua in omni ambitu mammæ scirrhosam duritiem servabat, reliqua vero mamma mollescebat.

17. Junii incœpit magis dolere, febricitare, & totam fere mammam gangræna occupabat. Cura externa eadem mansit, ac ante, interne autem habuit sequentem mixturam.

℞. Extract. cort. peruv. dr. vj.
Aq. flor. rhæad. unc. vij.

Vini boni austriaci unc. ij.
Syr. diacod. unc. j. ß.
M.

Sumat omni bihorio duo cochlearia: subinde quoque emulsi paregorici unc. ij. per diem ipsi dabantur.

21. Vespere sub deligatione omnis moles scirrhosa mortificata una vice excidit, & subjacentes partes colore rubello, sano præditas, bonum pus dantes reliquit; in omni tamen ambitu circulus semi-pollicis crassitie remansit durus: sequenti die apyretos erat; appetitus aderat, & carnes, quibus a 16. hujus mensis abstinuerat, denuo sibi concederentur, rogabat; hinc exhibita prius rhei electi dr. j. qua aliquoties purgata fuit, carnes facilioris digestionis ipsi datæ sunt, & denuo extract. cicutæ dr. j. omni die sumpsit, & cortice abstinuit.

Margines duri optima suppuratione sensim consumebantur, & ægra sat alacris erat, hoc tantum dolendum erat, quod continuo lecto affixa esse deberet.

Sub finem Julii margo durus fere ubique consumptus erat, & hinc inde rudimenta cicatricis conspiciebantur: unde ab interno cicutæ usu abstinuit,

externe autem eodem modo continuatum est ac in initio.

Ab eo tempore, quo massa scirrhosa gangræna a sanis partibus separata fuerat, semper sat bene habuit ægra, nisi quod in latus sinistrum sine incommodo decumbere numquam potuerit.

10. Augusti cum jam magna pars ulceris cicatrice obducta esset, post magnam siccitatem copiosissima pluvia toto die cecidit, vespere apoplexia tacta, irrito ad illam solvendam omni conamine, die 11 Augusti mortua est.

In cadavere superiorem pulmonis dextri lobum scirrhosum; & in capite magnam seri copiam inter duram & piam matrem effusi invenimus, ventriculi quoque cerebri sero pleni erant; præter hæc in visceribus nihil præternaturale reperimus.

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

FEMINA 39. annorum ad nostrum nosocomium 28 Junii delata est, cum ulcere profundo ad malleolum pedis sinistri externum, se ad trium circiter pollicum magnitudinem versus suram extendente, cum marginibus duris &

ſuperficie inæquali, multum ichoris fundente: pes & crus tumore renitente a binis annis diſtenſum erat, & jam a 14. menſibus exulcerari incœperat. Varia tam a Medicis quam a Chirurgis accepta toto hoc tempore uſurpaverat. Verum ſub illorum uſu ulcus in omni dimenſione auctum erat, eo modo ut ægram laboribus omnino ineptam reddiderit.

Cura hoc modo inſtituta fuit: cavitas ulceris linteis carptis decocto cicutæ impraegnatis implebatur, & his ſicut pedi & cruri tumidis per diem imponebatur fomentum de cicuta, noctu autem emplaſtrum.

Interne primo aſſumpſit pilulas hydragogas, quæ aliquoties tempore curæ repetitæ ſunt; doſis extracti cicutæ in pilulas redacti fuit ſcr. j. bis de die aſſumendus; diæta fuit ut ſanorum, bubulam & farinacea comedit: nihil enim læſum in corporis functionibus animadvertebatur.

Senſim fruſtula plura ſemi-mortua tam ex fundo quam marginibus ulceris a vivis ſeparata ſunt, & moles pedis & cruris imminuta. Ulcus tamen continuavit ſaniem fundere uſque ad 22 Julii, qua pus tenue dilutum loco ſa-

niei in omni plaga ulceris primo obſervabatur.

Initio Auguſti ex ulcere optimum pus prodibat, & cavitas carne bona incipiebat impleri: margines molliores erant: pars cruris antea tumida detumuerat; pedis quoque tumor ad duas tertias partes prioris molis minutus erat.

Toto menſe Auguſto optime habuit: ulcus perrexit bonum pus dare, & fundus ulceris ſenſim magis ac magis ad altitudinem marginum jam nunc mollium aſcendebat.

17. Septembris cum illuſtriſſimus L. B. *van Svvieten* dignaretur noſtros ægros viſitare, & plures de initio, incremento, & ſucceſſu curæ interrogaret, hanc quoque ægram examinavit: vidit nullam amplius cavitatem in ulcere adeſſe, ac jam circumcirca cicatricem a marginibus circa centrum adhuc parum ſuppurans extendi: ægra quoque tunc, quæ ut plurimum in lecto manere debuerat, ut fomenta melius applicari poſſent, potuit extra lectum eſſe, cum ſolo tunc cicutæ emplaſtro externe indigeret, dum tamen interna cura continuaret eadem eſſe.

Dum 11. Octobris denuo ad nos

rediret illustrissimus Præses, invenit ulcus optima cicatrice obductum, & ægram sanissimam, quæ abstinuit tunc omni medicamento & brevi post e nosocomio dimissa fuit.

Casus Decimus octavus.

FEMINA 70. annorum ad nos 29. Julii venit. Hæc ab annis duobus tumorem habebat ovi anatis magnitudine durissimum, supra articulationem ossium carpi cum metacarpis in parte illorum convexa situm, immobilem, qui manum & digitos introrsum premebat cum omnium rigiditate; indolens erat; functiones naturales & vitales animales quoque, si motum læsum excipias, bonæ.

30. Julii incœpit bis de die extract. cicutæ scr. j. sumere, ac tumor tempore diurno decocto cicutæ fotus noctu emplastro ejusdem nominis tegebatur.

9. Augusti poterat manum & digitos movere & retrorsum flectere; tumor quoque tertiam prioris molis partem amiserat.

Continuavit cicuta uti, & tumor ille ita sensim minutus est, ut 17. Septembris dum illustrissimus Præses illam

vidit, vix veſtigium tumoris supereſſet, & libero manus motu gauderet ægra.

Casus Decimus nonus.

Femina 40. annorum 20. Julii ad nos venit; hæc per ſemi-annum febre, illam modo ad inſtar quartanæ, modo tertianæ, ac etiam quotidianæ aggrediente laborabat; multum emaciata erat, & tumorem durum integram palmam manus infra coſtas ex hypochondrio ſiniſtro deſcendentem circiter ſeſqui palmam latum jam in tertium menſem habebat: alvus tarda erat; appetitus paucus, ſomnus turbatus, pulſus extra paroxiſmum inæqualis, ſubinde intermittens; reſpiratio ſat bona.

Apud nos febris tertianæ typum ſervavit, & pro medicamento decoctum N. 19. ipſi datum eſt, quo per ſex dies uſa a febre libera fuit: verum manſit eadem durities & moles tumoris, & ſi alvum excipias, quæ ſub uſu prædicti decocti ſponte prodibat, functiones nullo modo in melius mutatæ ſunt.

Continuavit decocto graminis uti uſque ad 8. Auguſti ſine ulla mutatione.

9. Augusti dedi illi bis de die extracti cicutæ in pilulas redacti gr. xvj.

Alvus quotidie movebatur, & 13 ejusdem mensis, cum ob appetitum auctum reliqua alimenta ipsi non sufficerent, carnes leviores concessæ sunt.

Perrexit eadem cicutæ dosi uti ad 19. qua cum nullam mutationem experiremur, illi ter de die extracti gr. xvj. dedimus.

20. & 27. Sensum formicationis sæpius repetentem in tumore sentiit: 28. dolores percepit subinde sat magnos, ac ideo ipsi datum est decoctum N. 20. intra biduum assumendum, quod alvum decies movit, & dolores sedavit.

Prima Septembris denuo incœpit priori cicutæ dosi uti, quam per septem dies sine incommodo sumpsit.

8. Iterum de formicatione dolorifica in tumore conquesta est; quapropter ipsi denuo decoctum herbæ mercurialis præscriptum fuit, a quo per biduum pluries purgata est.

Minutus est inde formicationis sensus, verumtamen non penitus disparuit, & pulsus leniter febrilis fuit usque ad 14, quo tempore carnibus abstinuit, & loco cicutæ emulsum refrigerans sumpsit.

16. Dum pulsus naturalis esset, ite-

rum bis de die extract. cicutæ in pilul. redacti scr. j. sumere inchoavit: tumor tunc examinatus videbatur mole paulo minor, & optimo appetitu gaudebat ægra, unde licuit ipsi tenerioribus carnibus vesci.

Per totum mensem Septembrem omni die semel vel bis alvum habuit: tumor sub usu cicutæ continuato mansit indolens, & ægra sæpius extra lectum erat sedens, vel in cubiculo deambulans.

Initio Octobris catharro valido laboravit ægra, respiratio valde impedita fuit, & tussis initio frequens & sicca: remediis pectoralibus demulcentibus, & expectorantibus intra quindecim dies a catharro liberata fuit: ventriculus vero debilitatus paucos cibos ferre potuit; assumpta tamen bis intra sex dies rhei elect. dr. j. appetitus restitutus est, & licuit denuo carnibus vesci, quibus ab initio catharri abstinuerat.

24. Octobris denuo incœpit priorem cicutæ dosin sumere: 25. Illustrissimus L. B. *van Swieten* ægram in nosocomio examinavit, & tumorem invenit qualis supra descriptus est.

Perrexit cicuta uti sine incommodo usque ad 6. Novembris, qua incœpit tumor dolere, pulsus quoque solito celerior esse, & ægra minus appetere.

Abſtinuit carnibus, & 7. & 8. denuo uſa eſt decocto N. 20. a quo copioſe purgata eſt cum magno doloris decremento, & notabili tumoris collapſu.

Poſt purgationem per quatriduum emulſo refrigerante uſa eſt, ſub cujus uſu dolor reſiduus penitus diſparuit: unde 15. iterum incœpit cicuta uti & 20. carnes ipſi denuo conceſſæ ſunt.

Reliquo hujus menſis tempore nihil interturbavit cicutæ uſum, & 5. Decembris dum feminam in noſocomio vidit illuſtriſſimus Præſes, invenit tumorem vix mediam prioris molis partem habentem, faciem bene coloratam, & feminam quoad reliqua ſanam.

Ab eo tempore, quo denuo incœpit cicuta uti, purgante non amplius opus fuit; alvus enim ſponte omni die ſemel, quandoque etiam bis prodiit, atque in dies mole tumor fiebat minor, & omnes actiones optime peragebantur, donec 28. ejuſdem Decembris magnum oris amarorem, nauſeam, & capitis ſiniſtræ partis dolorem conqueſta eſt.

Datum eſt ipſi tunc decoct. Numero 20. cui ſpir. ſal. acid. ſcr. 1. addebatur, intra biduum aſſumendum, a quo pluries alvus mota fuit, & oris amaror multum imminutus, nauſea diſparuit,

& hemicrania minus molesta evasit; dein per quinque dies acescentibus usa est, quibus oris amaritudo penitus disparuit: dolor vero capitis, licet multum minutus, permansit.

Postea ab omni medicamento abstinuit, & solis cibis facile digerendis usa est; appetitus tunc vigebat, & actiones omnes cæterum bonæ erant, nisi quod hemicrania quandoque acutius, & subinde otalgia per aliquot horas in eodem capitis latere afficeret ægram.

Cum autem adhuc aliquid de priori tumore superesset, dedi denuo 10. Januarii, bis de die extract. cicutæ gr. xvj. quod continuavit ægra usque ad finem Januarii, quo tempore nullum amplius præteriti tumoris in abdomine vestigium aderat. Cicuta ergo non amplius opus erat: unde illa abstinuit.

Tempore, quo hac ultima vice usa est cicuta, hemicrania & otalgia subinde per plures horas, imo per diem siluerunt, denuo recrudescentes: cæterum ægra sat bene habuit, & initio Februarii incœpit carnibus tenerioribus vesci.

6. Hujus mensis illustrissimus Præses ægram examinavit, & addomen ubique naturalis mollitiei invenit.

Retro aurem ſiniſtram veſicans applicatum eſt, ea ſpe, ut dolor auris & capitis leniretur; verum nullum levamen habuit: 11. vero magna puris ſat boni quantitas ex aure effluens dolores minuit; puris pauci effluxus duravit uſque ad finem Februarii, & ſic ægra ab hemicrania & otalgia liberata fuit.

Poſt hæc omnia femina licet ſat bene valens, vires non habebat ſufficientes ad ſolitos labores obeundos: ſtatuimus ideo, illam in noſocomio retinere, donec robuſtior eſſet: verum res lente proceſſit.

Sub finem Martii conqueſta eſt de dentium doloribus, & gingivas examinantes, vidimus illas lividas, ſcorbuticas eſſe, & digito leniter fricatæ ſanguinem fundebant: tonſilla ſiniſtra ulcuſculo in ambitu albeſcente occupabatur.

Sumpſit decoctum herbæ mercurialis ſolito cum effectu: dein conſerva antiſcorbutica uſa eſt; melle roſarum cum ſpiritu ſalis gingivæ & ulcuſculum in ſiniſtra tonſilla natum ſæpius per diem illiniebantur.

10. Dierum ſpatio ulcus illud curatum eſt, gingivæ vero colorem ſcorbuticum ſervabant, & ſubinde ſanguinem fundebant.

14. Aprilis incœpit tussire, & tussi sæpius sanguinem rejiciebat: conservæ antiscorbuticæ loco usa est decocto radicis salab. quo & sputum cruentum & tussis sex dierum spatio sedata sunt.

Incœpit posthoc seri lactis lib. j. cum syr. fumariæ unc. j. ß. & succi sempervivi major unc. ij. omni die absumere, & tantum alimenta acrimoniæ involvendæ & superandæ apta ipsi concedebantur.

Hac methodo tractata est ægra ad 18. Maii: quo tempore nulla mutatio in melius facta, e contra incœpit artubus superioribus per vices admodum dolere.

Cum hæc vidi, dedi ipsi sequens:

℞. Seri lact. lib. j. ß.
Extract. cicut. dr. j.
Syr. fumar. unc. ij.
M.
S. intra biduum absumat.

Hoc medicamento usa est tanto cum effectu, ut intra quatuor hebdomadas sanissima facta fuerit, nullo scorbuti superstite signo. Initio Julii vidit illam illustrissimus Præses optime valentem, & 15. ejusdem mensis ex nosocomio discessit: ab hoc tempore feminam hanc bis vidit illustrissimus vir bona sanitate

fruentem, dum in nosocomium grato animo mota accessit, gratiarum actiones pro restituta sanitate repetitura.

Casus Vigesimus.

Juvenis 20. & aliquot annorum 8. Augusti 1761. ad nos venit. Hic jam a binis annis aiebat se lingua dolere, quæ jam a sesqui-anno exulcerata erat: balbutiebat, & admodum difficile intelligebatur.

Aperto ore vidimus linguam fere penitus cancro exesam; æger magnos dolores patiebatur; difficulter assumpta deglutiebat; somnus tamen sat bonus erat.

Expertissimus Chirurgus statim primo die incœpit linguam linimento ex melle rosarum & extracto cicutæ parato ter quaterve illinire, & infuso cicutæ abluere. 9. Augusti haustum N. 9. sumpsit, & 10. incœpit ter de die extract. cicut. gr. xvj. sumere.

18. Hujus mensis residuum linguæ cancrosæ incœpit bonum pus dare; æger optime quoad cætera se habebat, & dolores multo leniores erant.

Nihil usum cicutæ interrupit, lingua

continuavit bonum pus dare, molliri. Sub finem Septembris sensim minuta est suppuratio, & hinc inde in ulcere, non amplius cancri nomen merenti, rudimenta cicatricis conspiciebantur. Residuum tamen linguæ licet mollius, quam dum nosocomium intraverat, nondum videbatur mollitiei naturalis.

Perrexit itaque cicuta eodem modo interne & externe uti.

25. Octobris illum vidit illustrissimus Præses: ulcus tunc totum cicatrice obductum erat: suasit tamen illustrissimus vir, ut per aliquod tempus continuaret adhuc cicuta uti, ne malum forte successu temporis recrudesceret: verum cum ab omni dolore liber esset, & bona sanitate gauderet, recusavit diutius medicamento uti, & initio Novembris e nosocomio discessit.

Casus Vigesimus primus.

Puer 8. annorum 29. Julii ad nostrum nosocomium venit: narrabat pater, illum jam a quinque annis scrophulosum esse.

Examinantes vidimus in utroque colli latere tumorem ex multis glandulis sibi

arcte cohærentibus compositum, qui a parotidibus incipiens ad cervicem usque posterius pertingebat, per totam colli longitudinem usque in partem capitis capillatam extensus, crassitieque in media parte magnum ovum anserinum adæquabat: & tinea jam dudum caput desoedebatur.

Tumor sinistram colli partem occupans jam a binis annis & ultra apertus, lividus serum acre paucum cum materie calcarea mixtum fundebat: in eo tumore dolores lancinantes jam a pluribus mensibus patiebatur. Glandulæ submaxillares divisos tumores in utroque latere formabant variæ magnitudinis.

Abdomen erat valde durum: color erat cachecticus, flavescens: adnata oculorum cærulescebat: respiratio brevis & post motum celeris peragebatur; pulsus erat celer, inæqualis, appetitus paucus, alvus tarda tantum omni biduo vel triduo prodiens, dura.

Datum est ipsi tunc sequens medicamentum.

℞. Aq. laxat. D. U. unc. IV.
Sal sedlicens. dr. ij.
Syr. mannat. unc. ij.
M.

S. Mane duo cochlearia sumat, dein

omni hora cochleare, donec purgetur, & sequenti die eodem modo pergat.

Hac mixtura per tres dies leniter purgatus est cum aliqua respirationis emendatione.

2. Augusti incœpit mixtura sequenti uti.

℞. Extract. cicut. scr. ij.
Aq. rhæad. unc. iv.
Syr. flor. rhæad. unc. ß.

M.

S. quater de die unc. ß. sumat.

Sub usu hujus mixturæ, quæ bis repetita fuit, alvum naturalem omni die habuit: alacrior factus est, & sexta ejusdem mensis valde gaudebat puer, quod loco dolorum pruritum solum perciperet: optime dormiverat, abdomen minus tensum erat: verum quoad reliqua nulla mutatio percipiebatur.

8. Pus ex tumore lateris sinistri effluere observavimus. Tumor lateris dextri manifeste in plures tumores dividebatur, & glandulæ submaxillares videbantur mole minui; alvum quotidie bis terve copiosam liquidam deponebat: appetitus erat optimus: abdomen tamen fere in eodem statu: cum viderem puero cicutam adeo conducere, præscripsi sequentem formulam.

℞. Extracti cicutæ dr. j.
Aq. meliss. unc. iv.
Syr. flor. rhæad. unc. ß.
M.
Usus ut prioris.

Ad vigesimam usque Augusti hæc mixtura usus est. Toto hoc tempore bene habuit: viguit appetitus, somnus optimus fuit, alvum quotidie bis vel ter deposuit, & urina solito copiosior erat. Tumor lateris dextri in alios minores variæ magnitudinis divisus est, ac in tumore lateris sinistri, præcipue circa margines animadvertimus plures glandulas separari a reliquo tumore, qui quoque minoris molis erat, & continuabat paucum pus fundere.

Addidi tunc priori mixturæ extracti cicutæ dr. ß. ut quotidie extracti grana xlv. absumeret. Primis tribus diebus, quibus hanc dosin absumpsit, quater nychthemeri spatio purgabatur.

24. Augusti alvus minus frequens fuit, verum urinam multo copiosiorem reddidit: quod continuavit reliquo mensis Augusti, quo tempore omnia ita mutata sunt, ut 31. in sinistro latere glandula una submaxillaris binarum nucum sibi secundum longitudinem adglutinatarum magnitudinem solum refer-

ret : in dextro latere una quoque ſuperaret paulo minor : reliquæ autem ſubmaxillares multo minores erant, & quædam ita parvæ, ut nucem avellanam magnitudine non ſuperarent.

Tumor dextri colli lateris diviſus erat in decem & ultra partes. In tumore ſiniſtri colli lateris tres glandulæ a reliquo tumore penitus ſeparatæ erant, pars quoque ulcerata ſat bonum pus continuabat fundere : æger urinam copioſiſſimam mittere pergebat, & alvum bis vel ter de die deponere : color cachecticus in lætiorem quoque mutabatur.

Hoc in ſtatu eum ad illuſtriſſimum Præſidem adduxi, qui, omnibus bene examinatis, juſſit ſic continuarem, mandavitque, ut puerum ipſi iterum poſt aliquod tempus adducerem.

17. Septembris illuſtriſſimus Præſes invenit glandulas colli in parte dextra in plures adhuc minores & ſatis parvæ molis quidem diſſiluiſſe ; in latere ſiniſtro ſuppurabantur, & pus bonum inde prodire vidit : ſimul multum minuta erat moles ; abdomen detumuerat, facies florida erat, & tinea capitis fere integre diſparuerat.

Perrexit eadem doſi medicamenti uti ſine ullo incommodo, & dum 11

Octobris in nosocomio illum denuo videret illustrissimus vir, notavit sequentia.

In parte dextra multum denuo minuti erant dolores: in parte sinistra levis adhuc suppuratio aderat, & moles tumorum plurimum minuta; facies bene colorata, oculi vividi, tinea capitis sanata, abdomen detumescere pergebat.

13. Octobris binos novos tumores sub axilla dextra deteximus ovi gallinacei mediocris magnitudine. Interrogatus puer, a quo tempore illos gereret, respondit eos æque antiquos esse, ac reliqui, quos circa collum habebat, verum se nunc tantum ab aliquibus diebus dolorem ibi percipere, tactu experiebamur illos mollescere. Cæterum omnes functiones sat bonæ erant.

20. Incœpit æger iterum valde copiosam urinam mittere, quod per triduum duravit, quo tempore alvus tarda fuit.

25. Illustrissimus L. B. *van Swieten* puerum vidit bene valentem; tumores in utroque latere sensim magis minui, & tumores sub axilla mollescere.

4 Novembris unus tumor sub axilla sponte apertus pus optimum fudit, alter vero multo minor fiebat.

14.

14. Vidit illustrissimus vir totum abdomen detumuisse, & in lecto, dum jacebat puer, omni modo tangere potuit, nec ullam amplius duritiem deprehendit: tumor in sinistra colli parte penitus mollitus, & in dextra fere integre solutus erat, & qui sub axilla dextra aderat, pariter multum minutus.

30. Conquestus est capitis dolorem, qui sumpto purgante evanuit, & æger continuavit cicuta uti.

Dum 5. Decembris iterum adesset illustrissimus Præses, vidit tumorem in parte sinistra colli sponte apertum, pus satis bonum dare, multumque minui, & tumorem sub axilla valde parvum, puero quoad reliqua sano.

15. Incœpit febricitare, quod per triduum duravit, quo tempore parvus tumor, qui sub axilla supererat, multum elevatus est; puer abstinuit a cicuta per quinque dies, dein incœpit iterum illa uti.

30. Tumor ille sub axilla totus mollis sponte apertus est, & pus dedit: alvus fere omni die bis deponebatur; diuresis erat minus copiosa.

2. Januarii anni 1762. notavit illustrissimus vir tumorem in sinistra parte non multum minutum, suppurare ta-

men: in dextra parte dissilire residuum in minores partes, & tumorem sub axilla suppurando consumptum esse.

Æger postea tantum omni die extracti cicutæ dr. ß. sumpsit: verum ab hac dosi nulla mutatio in melius facta est, & dum 6. Februarii denuo augere medicamenti dosin mentis essem; parentes promissione celerioris curationis nescio a quo ipsis facta, seducti, puerum noluerunt diutius in nosocomio relinquere.

Domi puerum detinuerunt fere per binos menses, & varia externe applicuerunt, interne sumenda dederunt, quæ pueri sanitatem ita labefactarunt, ut dum initio Aprilis ad nos denuo deferretur, vix cognoscendus esset: totus exsiccatus erat, febricitabat, continua siti afficiebatur, & alimenta respuebat: collum circumcirca ulceratum & triplo magis tumidum, quam antea, fœdissimum aspectu erat.

Omni artis molimine conati fuimus per 12. dies ægro levamen adferre: verum omnibus incassum adhibitis æger tabefactus periit.

CASUS XXII.

FEMINA 50. annorum Viennam initio Augusti petiit, ut a tumore magno duro, quem in mamma sinistra gerebat, curaretur.

Verum nec Medicum nec Chirurgum accessit usque ad 21 Septembris, qua ad celeberrimum Chirurgiæ Professorem *Leber* venit, dum fortuito casu apud illum eram.

Narravit femina se per 20. annos omni mense, antequam menstrua prodirent, mamma sinistra doluisse, ac plura parva tubercula in eadem orta esse, quæ tamen elapso menstruorum tempore sensim disparebant.

Hinc hoc non multum curavit; jussit tamen domina, apud quam tunc in famulatu erat, ut consilium rogaret a Medico, qui facto examine commendavit ipsi, ut sui curam sollicite gereret, aitque cancrum præcipue cessantibus menstruis metuendum esse: interim affirmabat femina, se nullam permanentem duritiem animadvertisse, nec recordabatur, quo anno cum illo Medico locuta fuisset, aiebat tantum mul-

tos ab eo tempore annos elapſos eſſe.

Jam a tribus annis menſtruorum fluxus ceſſaverat, nec quid in mamma incommodi inde perceperat, donec ante 9. vel 10. menſes infans apud illam in lecto jacens caput fortiter in eandem mammam ſiniſtram impegiſſet.

Magnum tunc dolorem percepit, & elapſis aliquot diebus in ſiniſtro mammæ latere tumor durus ortus eſt, nucem moſchatam figura referens, qui poſtea ſenſim increvit, nullam ipſi moleſtiam creans.

Elapſis vero tribus circiter menſibus ab initio mali incœpit dolores lancinantes ſubinde percipere, tumor continuo increvit, unde & doloribus ſæpius repetentibus & increſcente tumoris mole territa demum Viennam venit.

Primis ſeptimanis, quibus hic fuit, præ metu ſectionis artis peritos non conſuluit: ſed ab aniculis accepta varia unguenta & emplaſtra mammæ applicuit; unde moles tumoris aucta, & dolores majores & frequentiores orti.

Initio vero hujus menſis ſuaſit ipſi aliquis, ut pilulas de cicuta hoc modo ſumeret, ut primo die mane 3. veſpere vero 4. ſequenti die mane 4. veſpere vero 5. abſumeret, donec doſis eſſet

pilul. N. 10. deinde ſenſim minueret doſin ; herbam quoque cicutæ contuſam externe applicuit ; verum hanc non potuit ferre : ac ideo unguento aliquo externe uſa eſt. Ab eo tempore ait dolores minores, & minus frequentes eſſe, molemque & duritiem tumoris minui.

22. Septembris eam ad illuſtriſſimum Præſidem duxi, qui invenit tumorem durum, ſcirrhoſum in mamma ſiniſtra, qui ſub papilla incipiens axillam verſus tendebat, quinque pollices longum, & duos latum a parte inferiori a ſubjectis liber, & mobilis erat, ſub papilla adhærebat integumentis: in illa parte, quæ verſus axillam tendebat, liber erat & mobilis, & ſubinde lancinationes patiebatur. Faſſa eſt præterea, quod ante 4. menſes per octiduum ſumpſerit tres pilulas extracti cicutæ mane & totidem veſperi ; dein abſtinuit, crevit poſtea tumor, & applicato emplaſtro, quod quale fuit, ignorat, vocat *Mirackel Pflaſter*, *emplaſtrum miraculoſum*, magis intumuit mamma, & durior facta eſt.

Dedi ipſi bis de die extract. cicutæ in pilulas redacti ſcr. j. & externe infuſo cicutæ mamma fovebatur.

Illam denuo illuſtriſſimus vir vidit 11

Octobris : scirrhi longitudo per pollicis & medii longitudinem decreverat ; latitudo fere eadem , altitudo seu crassities scirrhi minor , hinc planior apparebat , & papillæ adhæsio ad scirrhum suppositum minor : vidit simul aliquid sanguinis ex papilla effluxisse.

14. Iterum aliquot guttulæ sanguinis ex papilla exstillarunt.

Idem accidit 16. 18 & 19. ab eo tempore continuo papilla emplastro de cicuta tecta servabatur.

14. Adhuc aliquid sanguinis exstillavit ; cæterum toto hoc 15. dierum spatio ægra quoad omnes functiones continuavit bene se habere.

Illustrissimus L. B. *van Svvieten* iterum vidit illam 25. scirrhus in omni dimensione erat minor, mollior, planiorque, & incipiebat in minores partes dividi.

Ab eo tempore aliquoties adhuc guttula sanguinis ex papilla effluxit. Cæterum bene habuit, & omnia perrexerunt mutari in melius , quod vidit ipse magnificus vir 14 Novembris.

5. Decembris observavit scirrhum mole magis minui , planiorem fieri , & in minores partes magis magisque secedere , quæ tamen ad tactum adhuc

duræ erant : eadem notavit 2 Januarii.

Per tres primos mensis Januarii dies diarrhæa laboravit, ac ideo loco cicutæ decoctum radicis salab. cum laudano ipsi datum est, cui diarrhæa facile obtemperavit, & 8 Januarii potuit denuo cicuta uti.

6. Februarii notavit illustrissimus vir tumorem insigniter minui, & dissilire in partes parvas, oblongas.

Perrexit ægra cicuta uti sine incommodo : sexta vero Martii non invenit illustrissimus vir tumorem magis minutum esse, quam ultima vice, qua illam viderat ; tumor tamen tribus quartis ejus molis, quam habebat, dum ad nos venerat, partibus minor erat, nec ullos amplius dolores patiebatur, ita ut spes magna foret integræ resolutionis : verum ægra lautiori dietæ assueta, de cibis, quos in nosocomio adquirebat, non contenta ad suos rediit.

24. Octobris vidi illam aspectu sanam, in platea celeriter incedentem.

CASUS XXIII.

FEMINA 29. annos nata 28. Julii ad nos venit, & retulit, se ante quinque

annos tumore & induratione glandularum sinistri colli lateris laborasse, quæ cineribus calidis applicatis minutæ fuerant, verum a 3 ½ annis licet vari externe applicuisset, sensim increverant, ita ut tunc adesset tumor livescens ex duobus sibi cohærentibus compositus, valde elevatus, circiter quatuor digitos latus, longitudine latitudinem paulo superante; glandula quoque thyreoidea, præcipue in parte dextra tumorem strumosum formabat ovi semi compressi figura: collum vix movere poterat.

Ægra emaciata erat, & coloris cachectici subflavescentis; appetitus erat parvus, & de doloribus hypochondriorum subinde repetentibus conquerebatur: abdomen tamen examinatum nullam præ se duritiem ferebat.

Post lene purgans assumptum incœpit bis de die extracti cicutæ in pilulas redacti scr. j. uti, quo intra mensis spatium id effectum est, ut colli tumores manifeste minui viderentur, & dolores rariores in hypochondriis facti fuerint.

Nihil interrupit cicutæ usum, nisi subinde interpolatum lene purgans; ægra carnibus tenerioribus & aliis facile digestionis cibis nutrita est: ventriculus enim duriora non ferebat, & paulo majori

quantitate assumpta angebatur: sensim tamen tumores ita mutati sunt, ut illustrissimus Præses, qui illam viderat ante ipsius ingressum in nosocomium, notaverit.

12. Novembris, tumorem glandulæ thyreoideæ fere integre disparuisse & alium tumorem insigniter minutum in plures minores dissiliisse, illiusque colorem livescentem in rubicundum mutatum; cæterum habitus corporis in melius non erat mutatus, ac hypochondriorum doloribus subinde continuabat vexari: simul tunc cum solita cicutæ dosi incœpit decocto graminis, taraxaci &c. uti, qua methodo continuavimus interpolato subinde leni purgante usque ad finem Februarii, quo tempore tumor glandulæ thyreoideæ penitus disparuit, & alter tumor fere integre resolutus est: ægra quoque tunc collum liberrime movebat.

Ultimo Februarii die cum jam a plurimis diebus appetitu solito majori gauderet, & cibos duriores, qui ipsi denegabantur, expeteret, clam ab amicis acceptas carnes sale conditas, & fumo induratas magna copia comedit, ac desuper vinum vile copiose hausit, unde in dysenteriam incidit, quæ nulla arte

curari potuit, & ægra initio Aprilis mortua est.

In cadavere invenimus hepar admodum parvum, durum, coloris, cinero-flavescentis: vesicula fellis erat bile spissa plena; mesenterium innumeri parvi scirrhi occupabant: in intestini colli sinistri cavitate millena parva tubercula fusca visui se offerebant: in reliquis visceribus nihil morbosi repertum est.

CASUS XXIV.

TRIGINTA duorum annorum femina nosocomium 22. Augusti 1761. ex planosocomium 22. Augusti 1761. ex platea delata fuit, jam per octo dies dysenteriæ symptomata pessima patiens.

Dum illam primo examinavimus, fere omni horæ quadrante diro tenesmo ad alvum deponendam cogebatur: tormina fere continua erant, pulsus erat celer, debilis, vires collapsæ, respiratio sat bona, lingua sicca, sitis multa, appetitus nullus: totum corpus scabies deturpabat. Morbo acuto laboraverat hæc femina tempore quadragesimæ, a quo tempore parotis sinistra erat tumida, dura scirrhosa, multæque glandulæ colli a parte capillata capitis ad claviculam

uſque tumorem formabant ſuperius ex aliquibus glandulis unitis compoſitum: inferius vero verſus humerum plures erant tumores disjuncti, duriſſimi, nucum juglandum magnitudinem fere omnes æquantes. Color totius corporis erat ex fuſco flaveſcens.

Ilico huic feminæ præſcriptum eſt decoctum mucilaginoſum, cui laudanum purum admiſcebatur, interne aſſumendum; abdomen cataplaſmate emolliente involutum eſt, ac enema e mucilagine gummi tragac. & laudani puri gr. iij. aq. unc. vij. injiciebatur.

His pro ratione repetitis intra ſex dies dyſenteria & reliqua ſymptomata diſparuerunt, ſola ſuperſtite debilitate. Conatus ſum dein ægram congruis alimentis reficere.

Dominus Chirurgus ſtatim primo die vetante dyſenteria ne curam tumorum internam aggrederer, illos mundavit ac vidit ex parotide ſaniem tenuem per parvam aperturam fiſtuloſam exſtillare; applicuitque externe fomentum de cicuta de die, noctu vero emplaſtrum ejuſdem plantæ.

13. Septembris cum vires jam multum refectas viderem, ipſi mane iv. pilul. gr. iv. ſumendas præſcripſi & veſpere toti-

dem: continuavitque quotidie eam dosin sumere: injectiones quoque tunc cum decocto cicutæ singulis diebus in ulcus fistulosum mane & vespere factæ sunt.

17. Eam cum aliis ægris illustrissimus Præses vidit, quo tempore vix aliquid in tumoribus mutatum erat.

Nullam quoque mutationem notabilem observavimus ad 28 usque, qua parotis paulo minor & minus dura bonum pus fundebat, & in qua nihil amplius fistulosi deprehendebatur: reliqui vero tumores nullam mutationem exhibebant: ex manibus autem squammulæ multæ scabiosæ decidebant.

Sumpsit tunc omni die extracti cicutæ dr. j. 3. Octobris incœpit dolore parotide & reliquis tumoribus. Cæterum nec in functione vitali, nec in reliquis aliquid mutatum est. Hinc in eadem medendi methodo perreximus.

11. Notavit L. B. *van Swieten* parotidem ultra mediam suæ molis partem amisisse, residuumque mollius esse, & pus bonum licet paucum inde prodire.

25. Videns illam denuo vir illustrissimus, observavit omnes tumores pergere minui, & cutim a scabie sensim mundari.

8. Novembris bini tumores in collo

aperti ſunt pluribus foraminibus, ex quibus pus optimum effluxit.

14. Novembris denuo in noſocomio adfuit illuſtriſſimus vir; ſcabies tunc fere tota evanuerat; tumor parotidis & glandularum colli fere totus ſubſederat, blanda in apertis tumoribus aderat ſuppuratio; ſed 1. Decembris advertimus ſcabiem, quæ fere integre diſparuerat, repullulare, quæ 7. ejuſdem denuo minuebatur, & 16. penitus diſparuerat.

18. Incidit in febrim intermittentem quotidianam, quæ dato decocto graminis cum ſale polychreſto poſt quartum paroxyſmum ſublata eſt: ſuperſedit uſui cicutæ uſque ad 2. Januarii, qua denuo incœpit illius dr. j. quotidie abſumere.

5. Patefecit nobis cuſtos ambas hujus feminæ mammas male affectas eſſe, quod ſollicite tacuerat, metuens ne Chirurgus ſcalpello aperturam faceret.

Ambæ mammæ erant tumidæ molles, materia liquida plenæ.

In dextra durities nulla percipiebatur; in ſiniſtra autem ſupererat circulus durus, pollicis fere altitudine.

Non potuimus a femina expiſcari, a quo tempore hæc mamma indurata eſſet, tantummodo dixit, quod jam ante 20.

annos in illa abſceſſum habuiſſet, qui tunc temporis curatus fuerat.

9. Januarii mamma dextra ſponte aperta eſt & magnam puris boni copiam fudit, tumore integre collabente.

Mamma ſiniſtra incœpit quoque 25. materiem ichoroſam fundere, & circulus durus fere totus diſparuerat.

Perrexit aſſumere quotidie dr. j. extracti cicutæ ad 26. qua cicuta & carnibus ob diarrhæam, qua affecta fuit, abſtinere debuit, datis vero demulcentibus intra biduum ceſſavit diarrhæa, & 30. iterum potuit ſolita cicutæ doſi uti.

6. Februarii vidit illuſtriſſimus Præſes omnia magis & magis in melius pergere: vultus erat melior, tumor in latere ſiniſtro colli vix aliquid reliquum monſtrabat; ambarum mammarum moles ſuppuratione conſumpta erat.

Carne vitulina & ſimilibus facilioris digeſtionis cibis veſcebatur, & ita ſenſim omnia in melius mutata ſunt, ut ſub finem Februarii mamma dextra mollis eſſet, & illius ulcus cicatrice obductum, in ſiniſtra quoque cicatricis rudimenta conſpiciebantur, & in collo vix veſtigium tumoris ſupererat.

2. Martii ægra valde appetens clam

ab amica accepta varia alimenta magna quantitate comedit, ac circa vesperas ter copiose vomuit, & incœpit febricitare, aptis medicamentis per sex dies applicatis febris sedata est, & ægra denuo incœpit multum appetere.

9. Hujus mensis cum vinum & carnes petiisset, quæ custos ipsi recusavit, ira ita exarsit, ut inde convulsio totius corporis orta fuerit, in qua mortua est.

CASUS XXV.

VIR 60. annos natus 12. Septembris 1761. ad nos delatus narravit, se ante octo annos in parte externa cruris sinistri in inferiori parte suræ sclopeto ictum fuisse, unde ulcus nascebatur, quod toto 8. annorum tempore apertum saniem fuderat cum magnis sæpe doloribus: illa vero æstate tam acris evaserat sanies, ut late & profunde crus exedisset: mense Augusto multi vermes ex illo prodierant.

Dum prima vice illum vidimus ulcus sordidissimum ita fœtebat, ut vix non concederim, illud propinquius examinans: appetitu carebat æger, febricitabat, emaciatus erat, valde cachecti-

cus, ac jam per tres dies ob nimios dolores absque somno.

Externe ulcus decocto cicutæ cum pauco spiritu salis statim incœpit diligenter foveri: interne habuit mixturam vinosam.

Hoc modo intra tres dies fœtore multum imminuto ulcus incœpit mundari, & nausea simul ac febricula disparuerant.

17. Septembris sumpsit rhei elect. dr. j. unde appetitus optimus renatus est, & 18. carnes ipsi concessæ sunt, ac simul incœpit bis de die extracti cicutæ scr. j. sumere; tunc quoque fomentum cicutæ sine spiritu salis ulceri applicatum est.

Cicutam optime tulit, & ulcus initio Octobris mundum pluribus in locis pus paucum tenue dabat.

Vidit illum illustrissimus Præses 25. Octobris: color cachecticus cum in læ
tiorem mutabatur; ex omni plaga ulceris optimum pus prodibat, & cavitas illius omni die minuebatur.

Perrexit bene habere & sensim ita mutatum est ulcus, ut dum 14. Novembris illustrissimus Præses denuo adfuit in nostro nosocomio, medium ulceris adhucdum parum suppurantis æquale esset

marginibus, & jam rudimenta cicatricis conſpicerentur; colòr cachecticus diſparuerat, & omnes functiones bonæ erant.

Solo cicutæ emplaſtro ulcus tegebatur, & licet propter ulcus interno cicutæ uſu non amplius eſſet opus, illa perrexit uti, ut ſanguinis acrimonia magis magiſque vel corrigeretur, vel ex corpore eliminaretur.

Vigeſima cum alvum per tres dies non habuiſſet, hauſtum purgantem ſumpſit, unde pluries purgatus eſt.

Continuavit bona ſanitate frui, & dum quinta Decembris denuo illum examinavit illuſtriſſimus L. B. *van Swieten*, totum ulcus, excepta parva plaga in medio mariani magnitudine cicatrìce obductum erat, & æger ſat libere poterat per cubiculum incedere.

2. Januarii anni 1762. vidit illuſtriſſimus vir ulcus integre curatum, & ægrum tunc optime valentem; illum tandem menſe Martio ex noſocomio dimiſi, commendans illi, ut oleraceis & herbis antiſcorbuticis copioſe tota æſtate veſceretur, & ſtatim me accederet, ſi ſanitas illius vel minime labefactaretur.

CASUS XXVI.

VIRGO 30. annorum ad nos anno 1761. 14 Septembris venit cum ulcere supra malleolum externum cruris sinistri lato, profundo, quod jam ab anno a contusione ortum nullis remediis potuerat curare, & multum saniei fundebat; crus circum malleolum tumebat, & ægra jam per sex menses admodum difficile crure uti poterat, menstruis jam in quartum mensem carebat: aspectu tamen sat sana videbatur.

Externe more solito linteis carptis decocto cicutæ madidis cavitatem ulceris implevit expertissimus Chirurgus & desuper fomentum cicutæ applicuit.

15. Septembris pulvere hydragogo purgata est, & 16. incœpit bis de die extracti cicutæ in pilulas redacti scr. j. sumere.

Omni octavo vel nono die tempore curæ sumpsit pilul. N. 22.

Dum 25. Octobris illam vidit illustrissimus Præses, tumor cruris paulo minor erat; non multum dolebat; pus tamen in ulcere nullum.

30. Octobris pus tenue paucum exul-

cere prodire advertimus, quod ſenſim ita in melius mutatum eſt, ut 14. Novembris optimum eſſe videret, illuſtriſſimus L. B. *van Swieten*: tumor quoque penitus conciderat, & cavitas ulceris fere omnino impleta erat, puella optime habente.

18. Novembris menſtrua prodiere, quæ debite per 4. dies fluxerunt, nec eo tempore cicuta abſtinuit.

25. Cum jam inciperet cicatrix formari, ſolo cicutæ emplaſtro ulcus tegebatur: continuavit tamen eandem extracti doſin ſumere, quandiu apud nos fuit.

5. Decembris cicatricem perfectam vidit illuſtriſſimus vir, & puellam optima ſanitate gaudentem, quæ vigeſima ejuſdem menſis noſocomium reliquit.

CASUS XXVII.

FEMINA 33. annorum 6. Octobris noſocomium acceſſit.

Ante binos annos puſtulas copioſas habuerat in palato poſteriori, quæ brevi poſt ſuum ortum albæ evadebant, & materiem albam dabant.

Paulo post ortæ sunt aliæ similes in posteriori linguæ parte, magnum ipsi dolorem creantes, quæ quoque brevi albescebant, & eandem ac priores materiem fundebant.

Ab eo tempore semper doluit, & lingua incœpit sensim magis magisque tumere, hinc inde findi.

Dum prima vice illam vidimus, vix cavitas oris tumenti cancrosæ linguæ sufficiebat, in qua ultra decem fissuras profundas conspiciebamus: interstitia durissima fissurarum tenacissima pelle alba tegebantur, & tantos dolores patiebatur ægra, ut fere omnes noctes jam a 15. diebus insomnis transigeret; valde emaciata erat, appetebat tamen, verum solidos cibos manducare impar, liquida nonnisi magno cum dolore deglutiebat; alvus cæterum jam per plures dies emanebat.

Datum est ipsi sequens.

℞. Aq. laxat. d. u. unc. v.
sal. polychr. dr. j.
syr. rosar. solut. unc. ß.
M.

S. omni ½ hora duo cochlearia sumat.

Hoc modo octies purgata est.

Dominus Chirurgus sæpius per diem linguam decocto cicutæ abluit, & dein

extracto cicutæ, melli rosarum admixto totam linguam illinivit, jussitque, ut ægra linguam immotam teneret, quandiu posset.

Septima Octobris inchoavit ægra sequenti mixtura uti.

Aq. flor. rhead. unc. iv.
extract. cicut scr. ij.
syr. papav. alb. unc. ß.

M.

S. diurno tempore quatuor dosibus absumat.

Sub usu hujus mixturæ dolores sensim minuti sunt, ita ut undecima Octobris incœperit noctu somnum pacatissimum habere, & levia alimenta facilius deglutire.

15. Inchoavit omni die extract. cicutæ dr. j. in mixtura absumere.

Hac methodo effectum est, ut dum illustrissimus L. B. *van Swieten* illam 25. examinavit lingua minus dolens & paulo minus tumida esset; reliqua autem omnia invenit, uti supra descripta sunt, nisi quod juscula, panatelas, olera &c. facile deglutiret.

Dedi tunc ipsi annuente illustrissimo Præside extract. cicut. dr. j. ß. omni die absumendam, quam dosin optime tulit.

Omni die advertimus pelliculam fissurarum interstitia tegentem sensim magis magisque molliri, & hinc inde a lingua separari & fissurarum labia minus retorrida fieri.

Decima Novembris pro prima vice pus optimum in variis linguæ partibus observavimus: externe & interne eadem continuata sunt.

14. Illustrissimus Præses vidit optimum fere ex omnibus fissuris pus prodiens, & notavit fissurarum labia magis ad se invicem appropinquare, linguam multum detumuisse; pelliculam antea linguæ tenaciter adhærentem fere omnem separatam, & ægræ faciem multo melius coloratum esse, commendavitque, ut methodo, qua incœptum fuerat, exacte pergeremus.

Dum 5. Decembris denuo adfuit illustrissimus vir, pergebat optima esse suppuratio, lingua mole fere naturalis erat, & ægra nullos dolores conquerebatur, nisi sub linimenti applicatione, ac denuo corpori carnes incipiebant renasci.

Eadem interne & externe adhibita sunt ad 24. qua ægra quoad linguam optime pro ratione mali habens, incœpit gravis fieri, capite dolere, febrici-

tare; pulſus tamen erat æqualis, non nimis plenus, ſitis mediocris, appetitus quoque ſat bonus.

Abſtinuit ægra a cicuta & emulſo refrigerante uſa eſt.

25. Veſpere eruperunt menſtrua, quibus jam per quinque menſes caruerat, & 26. febri carebat, optime fluentibus menſibus, qui 29. ceſſarunt, femina optime valente.

1. Januarii 1762. denuo incœpit priorem cicutæ doſin ſumere: & ſequenti die videns illam illuſtriſſimus Præſes lætus obſervavit, omnia ſemper magis in melius verti, ſuaſitque ut ægræ admodum appetenti leviores carnes concederentur; cum lingua mole fere naturalis maxima ſui parte mollis eſſet, carnes lente potuit maſticare, & illas optime tulit femina.

16. Ligna in area noſocomii flante borea in ordinem juvit diſponere; frigore capta eſt, quod excepit color magnus, continuus cum magna ſiti, & noctu acceſſit faucium dolor.

17. Erat pulſus plenus, durus, celer; fauces tumebant inflammatæ.

Sanguis ad lib. 1. vena eductus brevi cruſta denſa phlogiſtica tegebatur.

Enema injectum bis alvum ſubduxit,

& pro medicamento datum est sequens.

℞. Tamarind. unc. ij.
coq. c. aq. q. S. per $\frac{1}{2}$ horam sub finem
addendo folior. alexandr. dr. iij.
rad. fœnicul. unc. j.
Relinque in fervida digestione per $\frac{1}{2}$ horam
vase clauso colat. lib. j. ß. adde
nitri puri dr. j.
syr. rosar. solut. unc. j. ß.
S. omni bihorio unc. ij. sumat.

Pro potu habuit decoctum commune ægris nosocomii ex hordeo crudo, radicibus acetosæ & bardanæ cum oxymelle simplici; gargarismate ex speciebus emollientibus & resolventibus facto sæpius usa est: loco linimenti, quod huc usque linguæ applicatum fuerat, datus est linctus ex mucilagine althææ, & melle rosarum, & cataplasmate emolliente totum collum involvebatur.

Intra binas dies sæpius purgata est cum integro fere faucium collapsu, & magna febris remissione, unde postea solo emulso usa die 21 Januarii ab angina & febre libera fuit.

22. Linimentum ex melle & extracto cicutæ linguæ denuo applicatum est, & vespere menstrua denuo adquisivit

minus

minus copiosa tamen, quam mense præcedenti.

27. Sumpsit rhei dr. j. quæ sexies alvum movit, & sequenti die licuit ipsi carnibus tenerioribus vesci.

30. Incœpit bis de die extract. cicutæ in pilul. redacti scr. j sumere; tunc hinc inde tantum in variis linguæ fissuris aliquid puris advertebatur.

6. Februarii invenit illustrissimus Præses feminam bene valentem, & vidit rudimenta cicatricum fissurarum plurium linguæ cavitates incipientia obducere; supererant tamen adhuc aliqua interstitia dura, & semina de dolore obtuso sine tumore ad radicem nasi conquerebatur, cæterum bene habebat.

Continuata fuit dicta cicutæ dosis omni die, & commendavi, ut sæpius lac aquæ mixtum cum melle narribus attraheret, ad leniendum narium dolorem.

11. Dedi ipsi haustum purgantem, unde optime purgata fuit sine levamine doloris nasi, qui attactu externo augebatur, plures fissuræ linguæ cicatrice fere integre obductæ erant, & ægra quoad reliqua sana erat.

Perrexit interne & externe cicuta uti,

& simul quater de die decocti lignor. unc. iij. sumpsit.

Hoc modo continuatum fuit toto mense Februario & Martio, quo tempore omnes fissuræ linguæ cicatricæ obductæ fuerunt, dolor nasi disparuit, & femina tam bene habebat, ut vellet ad solitos labores redire.

Illustrissimus Præses, 3. Aprilis omnia rite examinans, invenit adhuc aliquid duri in medio linguæ, & suasit, ut ægra adhuc per aliquod tempus cicuta in nosocomio uteretur; externe autem nihil amplius applicatum est.

Eadem ergo cicutæ dosi perrexit uti; bubula, aliisque solidis cibis nutrita egregie custodes laborando sublevabat.

Initio Junii rogavit denuo, ut liceret ex nosocomio discedere; cumque substantiam linguæ naturalem inveniret illustrissimus L. B. *van Swieten*, illam dimisimus cum scatula pilulis de cicuta plena, ut adhuc per aliquod tempus continuaret uti hoc remedio.

Pluries ab illo tempore illam vidit illustrissimus Præses, & ultima vice mense Februario anni 1763. illam reperit optime valentem, cum ad nos grato animo mota denuo accessisset.

CASUS XXVIII.

FEMINA 53. annorum 24 Novembris ad nos rure venit. Huic glandula thyreoidea valde tumida admodum dura erat; totum colli latus dextrum late antrorsum & prostrorsum a clavicula usque in partem capitis capillatum rigidissimum & durissimum erat; retro angulum maxillæ inferioris elevabatur tumor ovi anserini figura, cujus apex obtusus cuti quasi innatus videbatur, dum acutior apex foris alte prostabat, hic tumor durissimus scirrhosus erat, lividus & a decem diebus valde dolens; dolor urens continuus, lancinansque vehementissime per intervalla ægram ita afficiebat, ut præ doloribus somno careret, febricitaret, & appetitum fere omnem amisisset; stando vel sedendo dolores augebantur, hinc continuo decumbere debebat.

Causam mali quærentibus narravit ægra se 25 Junii hujus anni noctem in agro transegisse ac dormivisse per plures horas capite supra lapidem reclinato, evigilantem valde friguisse, & collum jam tunc rigidum fuisse; elapsis vero ab

eo tempore tribus hebdomadis jam omnia fuisse in eo statu, in quo nunc conspiciebantur, nisi quod præter liberum capitis motum impeditum, nihil mali passa fuisset, donec 14. Novembris post validum corporis exercitium dolere incœpisset.

Curam hujus feminæ incœpi haustu purgante, & statim primo die, more in talibus casibus apud nos solito, partes duræ decocto cicutæ diurno tempore diligenter fotæ sunt, & noctu emplastro cicutæ tectæ.

25. Novembris dolores æque magni ac antea noctem inquietam fecerunt, appetitus tamen melior erat.

Incœpit ægra bis de die extracti cicutæ scr. j. sumere, ac simul emulso paregorico usa est, diæta fuit ex cibis levibus facile digerendis.

Quatuor primis diebus nullum a cicuta levamen habuit, unde 29. Novembris ter de die extracti cicutæ scr. j. sumpsit.

Hac dosi dolores sensim paulisper leniti sunt, & 3. Decembris aiebat ægra, se magnum levamen percipere, melius dormiebat, magis appetebat, & alvus naturalis omni alterno die deponebatur.

Quinta Decembris feminam vidit illustrissimus Præses & omnia invenit, ut prius descripta sunt; pulsus tamen tunc fere omnino erat naturalis.

Nunquam integre cessarunt dolores, & tumorem immutatum adhuc invenit illustrissimus vir 2. Januarii 1761. ægra tamen quoad reliqua satis bene habuerat, colore sat naturalis erat, & carnes teneriores sub finem Decembris ipsi concesseramus: ob augmentum doloris dum stabat, vel paulo diutius erecta sedebat fere continuo lecto affixa manere cogebatur.

3. Januarii incœpit omni die extracti cicutæ dr. j. ß. in mixtura absumere.

7. Dolores paulo majores fuerunt in scirrho, qui magis elevari videbatur, & in apice molliri, ægra quoque febricula afficiebatur, & magis sitiebat solito, quapropter carnibus abstinuit: cicuta tamen perrexit uti simul cum emulso paregorico.

9. Cutis in apice scirrhi erosa est, ex cujus ulcusculo sanies acris prodiit, spatio trium dierum tria talia ulcuscula sibi vicina orta sunt eandem materiem fundentia, nulla tamen nec in rigiditate musculorum, nec in tumore glandulæ thyreoideæ mutatio observabatur.

14. Totus apex ſcirrhi exulceratus pus ſubflaveſcens tenue dabat; ulcus texit expertiſſimus chirurgus linteis carptis decocto cicutæ impraegnatis, ac deſuper fomentum per diem applicuit, noctu autem emplaſtrum cicutæ. In cura medica nihil mutatum eſt.

Suppuratio hæc, cujus tempore dolores leniores fuerunt, duravit per quinque dies, donec 19. ulcus jam ad tertiam circiter pollicis partem in ſubſtantiam ſcirrhi excavatum incœpit ſubito gangræneſcere: ægra multum febricitare & dolores ingentes pati.

Eadem externe applicata ſunt, interne autem ſola emulſa paregorica copioſe ſumenda habuit.

20. Magna copia materiæ amurcoſæ cum fibris nigris mixtæ effluxit: ulcus multo latius & profundius erat & totum gangrænoſum, dolores autem ut die præcedenti, noctu tamen per intervalla dormiverat, pulſus ſat æqualis erat, minus celer, & maſſa ſcirrhoſa ſatis facile ſedebat digito tangenti.

Externe applicatum eſt fomentum ex cicuta & cortice peruviano factum, addito ſpiritus ſalis acido.

Interne præter emulſa paregorica data eſt ſequens mixtura.

℞. Aq. flor. rhæad. unc. v.
vini boni austriaci unc. ij.
extract. cort. peruv. dr. v.
syr. diacod. unc. j. ß.

M.

S. omni bihorio duo cochlearia sumat.

Hac methodo tractata est ægra per tres dies, quo tempore continuavit talis materies ex ulcere effluere, reliqua autem fere in eodem statu permansere.

Quarto die sive 23. Januarii dum chirurgus mane ulcus deligare vellet, massa nigra facile in consistentiam pultaceam pressione redigenda simul excidit, sic totus scirrhus ablatus est, superstite tantum circulo duro vix septimam partem prioris tumoris faciente.

Vidi in tota superficie ulceris pus bonum: ægra parum febricitabat, & ob magnum dolorum levamen alacris erat, abstinuit ergo medicamentis internis, & externe denuo incœpit deligatio cum decocto cicutæ fieri, sæpius juscula carnium & alia leviora alimenta per diem exhibita sunt, ut vires a magnis doloribus & febri debilitatæ restituerentur.

Sensim ægra hoc modo vires recupe-

ravit, margines duri circum ulcus perrexerunt optimum pus dare, sensim minui, & ægra lenissimis tantum doloribus affecta noctes tranquillas transigere, & appetitu bono frui.

6. Februarii vidit gaudens illustrissimus L. B. *van Swieten*, sicut & multi alii illum comitantes medici & chirurgi expertissimi, qui ægram quoque cum illustrissimo viro quinta Decembris viderant, nunc de tanto scirrho vix aliquid superesse, mulier tunc bono animo erat & optimo appetitu gaudebat; unde data ipsi prius rhei dr. j. 8. carnes ipsi denuo concessæ sunt.

13. De novo incœpit bis de die extracti cicutæ gr. xvj. sumere, ut quod de circulo duro supererat, celerius consumeretur.

Toto mense Februario ægra sat bene habuit, subinde e lecto surrexit, & dum initio Martii denuo adfuit illustrissimus Præses, tantum parva portio dura in parte superiori ulceris supererat, reliquum circuli penitus vel fusum, vel suppuratione consumptum erat, medium ulceris marginibus æquale erat, & rudimenta cicatricis ubique conspiciebantur.

Licet tamen tam feliciter sublatus

fuerit magnus ille ſcirrhus, nulla in glandula thyreoidea nec in muſculis induratis dextri lateris colli mutatio facta eſt.

Perrexit ergo ægra cicuta uti ad 13. Martii, quacum ulcus a ſcirrho relictum jam perfecta cicatrice obductum eſſet, & præter impedimentum liberi capitis motus nullo incommodo afficeretur, rogavit, ut liceret ipſi cicuta abſtinere, quod ipſi conceſſum eſt, fateor enim, me vix ſpem ullam habuiſſe, fore, ut cicuta aliquid contra pertinacem in hac femina muſculorum duritiem & immutatum hucuſque glandulæ thyreoideæ tumorem efficere poſſet, ac ideo viribus augendis, & corpori jam dudum emaciato humectando & nutriendo ſtudui, quod debitis alimentis eo effectu tentavimus, ut quarta Aprilis, dum ægram vidit illuſtriſſimus Præſes, habitum corporis quoad colorem & toroſitatem in melius notabiliter mutatum invenerit; cicatrix cæterum tunc erat perfecta, emplaſtro cicutæ tecta.

Per binos menſes, quibus ſana manſit femina variis ſolventibus & emollientibus externe applicatis muſculorum colli rigiditatem tollere fruſtra tentavimus.

Initio Junii sine nota causa femina angina inflammatoria correpta fuit, & statim primo die deglutitio fuit admodum difficilis.

Per tres dies omni artis molimine conati fuimus ægræ levamen adferre: verum omnia incassum adhibita sunt, & quarto morbi die mortua est.

Post mortem in abdomine præternaturale invenimus nihil, pulmones erant boni, cor magnum erat, & in aorta ascendente plures circuli ossei deprehendebantur, in collo omnes partes usque ad œsophagum lignea fere duritie præditæ erant, & œsophagus tertia sui parte tumidus, & inflammatus: glottis quoque multum tumebat & rubebat.

CASUS XXIX.

FEMINA 31. annorum ad nostrum nosocomium 8. Januarii 1762. delata jam a semi anno menstruis carebat, quibus emanentibus statim incœperat magnos pati dolores in pelvi, qui raro intermittebant; a quatuor mensibus animadverterat hypogastrium plus solito elevari, tumere, & jam per tres menses effluebat ex pudendis materies glutinosa,

acris, admodum urens, reliquæ tamen corporis functiones sat bonæ manserant, donec circa medium Decembris incœperit dysuria laborare.

Abdomen examinantes invenimus corpus durum extra pelvim ad trium circiter pollicum altitudinem prominens, transversim oblongum, ad tactum multum dolens.

Causam mali dicebat ægra esse, quod tertio die menstruorum, quæ ordinario per quinque dies habere solebat, ex scamno, supra quod stabat, aliquid parieti applicatura, ceciderit, unde territa fuit admodum, multum doluit, suppressa sunt menstrua, quæ ab eo tempore non apparuerunt.

Curam mali tentavi optimis medicamentis solventibus, emmenagogis, diureticis & purgantibus usque ad initium Febr. cataplasmata varia externe applicata sunt, nihil autem mutatum est; ægra perrexit dolere, tumor idem mansit; fluxus materiæ acris eodem modo ac ante continuavit, & ægra non facilius urinam misit.

Cum irrita hucusque viderem alia medicamenta, cicutam tentare decrevi, ac ægræ tertia Februarii bis de die extract. scr. j. sumendum dedi: externe

fomentum de cicuta applicatum est.

8. Februarii sine dolore potuit urinam copiosam mittere, fluor albus copiosior erat, minus acris, & dolores in pelvi minui videbantur: ægra appetebat, & alvus sponte omni die prodibat; sic continuavit ægra habere toto hoc mense, quo corpus illud durum multum minutum est.

2. Martii incœpit pluries per diem purgari cum torminibus, ac ideo cicuta abstinuit, cujus loco usa est decocto radicis salab. quod dolores brevi lenivit, & intra triduum alvum omnino naturalem reddidit.

8. Sumpsit rhei elect. dr. j. ut languens appetitus denuo excitaretur: optime purgata est, & die sequenti bonus erat appetitus, carnibus tamen debuit adhuc per aliquot dies abstinere.

10. Denuo incœpit cicuta uti, tumor omni die minor factus est, dolores leniores, & fluor albus, licet adhuc copiosus, minus acris evasit.

19. Nihil de tumore tactu poterat amplius percipi; dolores penitus evanuerant, fluor albus parcior erat, & ægra bene valebat.

Continuavit eandem extracti cicutæ dosin sumere, ast fomentum omissum

fuit: ægra potuit extra lectum esse, & in cubiculo deambulare; sensim minutus est fluor albus, & 29. Martii penitus cessavit, ægra optime habente.

Quarta Aprilis illustrissimus Præses, qui ægram in cubiculo jacentem, in quo exanthematicis morbis laborantes decumbere solent, propter aulam videre nondum potuerat, illam examinavit, nunc bene valentem, & ab illa morbi historiam audivit.

Cicuta adhuc usa est ad 12. Aprilis, qua nosocomio exivit sana. Mense maio dum illam vidi, ait sub finem Aprilis menstrua se habuisse ac optima sanitate frui.

CASUS XXX.

PUELLA 19. annorum initio Decembris anni 1761. dolores pungentes validos in mamma dextra sub papilla percepit, mammamque tangendo tuberculum durum parvi ovi gallinacei magnitudine deprehendit, quod antea nunquam adverterat: paucis diebus postea tota mamma valde tumebat; tuberculum durum mole valde auctum

erat, & dolores acutissimos lancinantes patiebatur.

Sumpto purgante dolores parum leniti sunt: verum brevi post æque vehementes redierunt.

Variis usa est medicamentis ab aniculis & balneatoribus acceptis, & externe varia applicuit emplastra, quæ malum non exacerbarunt.

Circa medium Januarii 1762. adivit Chirurgum qui malum emplastris variis & quodam pulvere interne dato tentavit auferre.

Ab eo tempore malum magis magisque in pejus mutatum est, & 20. Februarii ad latus internum papillæ mamma exulcerata est cum dolorum augmento: per tres vel quatuor dies aiebat ægra materiem viridem pauca quantitate ex ulcere effluxisse, manente eadem tumoris mole & duritie. Quinta Martii illam ad nostrum nosocomium misit illustrissimus L. B. *van Svvieten*.

Puella tunc cachecticum colorem habebat, emaciata erat, appetitus languebat; alvum autem naturalem fere omni die secedere aiebat: menstrua jam bis emanserant; mamma valde tumida erat, & moles scirrhosa durissima, magnum ovum anserinum magnitudine superans,

medium mammæ lobum occupabat: cutis ſupra ſcirrhum liveſcebat: ulcus quoque ad latus internum papillæ ortum liveſcentis coloris erat, & paucam ſaniem dabat; jam per plures noctes admodum parum præ nimiis doloribus quieverat: pulſum tamen habebat ſat naturalem.

Mamma ſtatim incœpit decocto cicutæ foveri, & curam internam cum rhei. elect. dr. j. unde aliquoties purgata eſt cum appetitus emendatione, inchoavi. Veſpere ſumpſit ſyrupi diacod. unc. j. cum laudan. liquid. ſydenh. gtt. v. & noctu ſat bene dormivit.

6. Martii bis de die extract. cicut. ſcr. j. ſumpſit, dato ſemper veſpere paregorico.

Per ſex primas dies, quibus hoc modo tractata fuit, parum mutationis animadvertimus, niſi quod dolores paulo leniores facti ſint, & noctes habuerit tranquilliores.

Septimo die, quo cicuta utebatur, ſive 12. Martii incœpit ulcus majus fieri, & copioſiorem ſaniem fundere; dolores quoque intenſiores evaſerunt; cæterum pulſus vix mutatus erat: emulſum cum diacodio prioribus additum eſt.

13. 14. 15. Fere eodem modo habuit,

& ulcus perrexit in toto ambitu gangrænescere, & mammam exedere.

17. Ait ægra dolores remisisse, & se noctu per plures horas dormivisse: eadem tamen erat febris, & gangræna integram massam scirrhosam, quæ hinc inde a sanis separari videbatur, occupabat.

Abstinuit tunc a cicuta, cujus loco mixtura sequenti usa est:

℞. Extract. cortic. peruv. unc. ß.
Vin. bon. austriac. unc. j.
Aq. flor. rhæad. unc. vj.
Syr. diacod. unc. j. ß.
M.

S. omni bihorio duo cochlearia sumat.

Externe fomentum ex decocto cicutæ & corticis peruviani cum addito pauco spiritu salis acido applicabatur, unde diem noctemque sat tranquilla transegit.

18. Mane dum Chirurgus emplastrum, quo ulcus noctu tectum fuerat, abstulit, simul cum linteis carptis tota massa scirrhosa gangræna tabefacta excidit, magno foramine in mamma relicto usque ad costas penetrante, parietes ulceris bono pure tectæ erant, & ægra vix febricitabat: sic totus separatus est scirrhus a partibus sanis; reman-

ſit tamen alter nucis juglandis mediocris magnitudine pollicem circiter ſupra papillam ſitus, quem antea non perceperamus.

Hac die adhuc cum priori fomento ulcus deligatum eſt, & perrexit eadem medicamenta aſſumere.

19. Decocto cicutæ impraegnatis linteis carptis cavitas ulceris implebatur: fomentumque ejuſdem plantæ deſuper applicabatur.

Abſtinuit ægra omni medicamento interno, & cibis aptis vires a febre & doloribus debilitatæ brevi refectæ ſunt.

27. Extra lectum per plures horas eſſe potuit. Toto hoc tempore perrexit ulcus moderata quantitate pus bonum dare.

28. Denuo incœpit bis de die extracti cicutæ gr. xvj. ſumere, ea ſpe freta, fore, ut a parvo illo ſcirrho relicto etiam curaretur, ſub cujus uſu continuavit optime habere.

4. Aprilis ægram vidit illuſtriſſimus Præſes; mammam examinavit, & cavitatem a ſcirrho relictam cum parietibus optimum pus fundentibus, magnumque gaudium teſtatus eſt vir humaniſſimus de felici adeo, non minus quam celeri cicutæ in hac ægra effectu; ſuaſitque,

ut illo medicamento propter parvum ſcirrhum relictum continuaret uti.

Ab hoc tempore cavitas ulceris ſenſim minor facta eſt, & continuavit bonum pus ex illa prodire minori quantitate: puella quoad reliqua optime habens, maximam partem diei extra lectum tranſegit, & appetitus ita auctus eſt, ut 14. Aprilis debuerint ipſi carnes concedi: bubula tamen, & aliis durioribus cibis ipſi non licuit veſci.

Corpus toroſitatem præteritam ſenſim recuperavit, color cachecticus diſparuit, & 23. Aprilis proruperunt menſtrua, quæ per quinque dies debite fluxerunt, & quorum tempore perrexit dictam cicutæ doſin ſumere.

Initio Martii cum cavitas ulceris ita impleta eſſet, ut medium illius fere æquale eſſet marginibus, ſolo emplaſtro cicutæ tegebatur. Durities in ſuperiori mammæ parte relicta nucem tunc avellanam magnitudine non ſuperabat; perrexit tamen adhuc cicutam ſumere uſque ad 16. Maii, qua illa abſtinuit: nullam enim amplius duritiem in mamma percipiebamus, & in ulceris ſuperficie adhuc dum aliquid puris dante cicatricis rudimenta conſpiciebantur.

21. Denuo menſes debita copia fluxe-

runt. Initio Junii vidit denuo illuſtriſſimus Præſes puellam hanc: erat tunc ulcus cicatrice obductum, mamma tota mollis, optima ſanitate fruebatur, ac paucis poſt diebus ex noſocomio diſceſſit. Illam ab eo tempore ſæpius vidi optime valentem.

CASUS XXXI.

FEMINA 29. annos nata 18. Maii ad nos delata 1. Martii infantem feliciter pepererat, quem lactaverat ſine incommodo ad 16. ejuſdem menſis, qua die poſt frigidæ hauſtum ambæ mammæ cum dolore valde intumuerunt: ſiniſtram potuit ſuggerere infans, quæ poſt aliquot dies detumuit, dextra autem licet brevi indolens fuerit, manſit tumida, & ſenſim magis magiſque indurata eſt.

Cum primo illam vidimus, ait, dum ante 15. dies ſarcinas elevabat, mammam ad thoraculum valde attritam fuiſſe, unde ſtatim incœperat dolere: dolor urens, ſubindeque lancinans erat, & ſenſim ita auctus, ut ancillaribus laboribus penitus inepta opem apud nos quæreret.

Externe fomentum de cicuta diurno tempore diligenter applicatum est, noctu tota mamma emplastro ejusdem nominis tegebatur.

Cum ægra quoad reliqua sana esset & boni appetitus; stricta diæta non præscripta fuit: licuit ipsi carnes comedere, & statim incœpit bis de die extracti cicutæ scr. j. sumere, & 28. Maii cum nulla sensibilis mutatio adverteretur, aucta est dosis, & ter de die extracti scr. j. sumpsit.

30. Maii mamma magis dolebat, & videbatur illius renitentia minui: præscribebatur idcirco haustus purgans, quem sequenti die sumpsit optimo cum effectu; dolor remisit, & 1. Junii videbatur moles mammæ paulisper minuta.

Incœpit denuo per diem extracti dr. j. absumere: & 4. Mensis dum vidit hanc feminam in nosocomio illustrissimus L. A. *van Swieten*, observavit tumorem in parte superiori in plures partes dissilire: dolores sat facile ferebat, & quoad reliqua sana erat.

9. Datum est ipsi denuo purgans, quod postea omni octavo die sumpsit, diebus intercalaribus cicuta utens. Hac methodo mammæ moles ad minimum una tertia parte sub finem Junii minuta

erat, & residuum tumoris duri in plures partes variæ magnitudinis divisum; dolores erant mediocres & vires optimæ.

Ex his spem aliquam concipiebamus futuræ per resolutionem curationis: verum 6. Julii incœpit mamma denuo magis tumere, dolere: ægra sæpius horrores & noctu magnam febrim habuit.

Dum sequenti die illam vidi, in media mamma fluctuatio obscura percipiebatur, & dolores, febrisque erant sat valida.

Eadem ac in initio externe applicata sunt. Interne autem loco cicutæ emulso diacodiato usa est, & copioso hordei decocto.

Alimenta fuere juscula carnium cum hordeo & farinaceis levioribus, panatellæ &c.

Sub horum usu febris & dolor sat moderata fuerunt, suppuratio optime processit, & 11. Julii febris erat pauca, dolores minores: & magna fluctuatio in mamma percipiebatur: supererant tamen tria tubercula dura in parte superiori sat magna, ac ideo aperturam roganti ægræ recusavimus, ut facilius in suppurationem deduci possent; verum 16. in parte inferiori mammæ apertura

ſponte facta eſt, ex qua copioſum pus effluxit cum magno mammæ collapſu, & præter illa tubercula, de quibus jam dictum eſt, nulla durities in mamma ſupererat.

Ulcus decocto cicutæ deligabatur, & omni die magna quantitas puris effluxit, quod in initio tenue, ſenſim optimum evaſit.

22. Magna abdominis tormina paſſa eſt, & ſæpius alvum habuit, aiebatque ſe jam ab aliquibus diebus acidum eructare, quod ſequens mixtura brevi immutavit.

℞. Aq. flor. rhæad. unc. vij.
Lapid. cancr. dr. j. ß.
Laud. liq. ſyd. gtt. xv.
Syr. diacod. unc. ß.

S. omni bihorio duo cochlearia ſumat.

24. Julii rhei. elect. dr. j. ſumpſit, unde aliquoties purgata eſt, cum appetitus antea fere deleti reſtitutione.

Abſtinuit dein omni medicamento interno uſque ad 2. Auguſti, qua denuo extracti cicutæ gr. xvj. ſumpſit: puris omni die ex mamma effluentis copia ſenſim minuta eſt, & ægra continuavit optime habere: moleculæ duræ ſuperſtites manifeſto minutæ ſunt, & appe-

titus ita auctus est, ut prima Augusti carnes debuerint ipsi concedi.

10. Ulcus mammæ multum minutum solummodo parum puris dabat & videbatur brevi cicatrice obducendum; duæ e moleculis duris post mammæ suppurationem superstitibus disparuerunt, tertia autem adhuc mediam prioris voluminis partem servabat. Solo tunc cicutæ emplastro mamma tegebatur, & cum alvus, quæ toto fere curæ tempore sponte cessarat, jam per triduum emansisset, haustum purgantem sumpsit, & sequenti die denuo incœpit cicutam sumere.

Bene habuit toto mense Augusto, sub cujus finem ulcus penitus bona cicatrice obductum erat, & molis duræ in superiori parte mammæ pauculum tantum supererat.

Voluissem feminam adhuc per aliquod tempus in nosocomio retinere: verum diutius manere recusavit, & illam, data tamen ipsi bona pilularum cicutæ dosi, ut continuaret adhuc illis omni die uti, dimittere debui.

Prima Januarii 1763. illam vidi optima sanitate gaudentem, & mamma ejus ubique mollitiem naturalem habebat.

CASUS XXXII.

VIR circiter 40. annos natus, anno 1762. initio Octobris ad nostrum nosocomium venit. Hic jam per sex annos scrotum valde tumidum & durum habebat, & jam a quatuor annis & ultra ex binis aperturis fistulosis pars major lotii, dum urinam mittere volebat, elabebatur, & sæpe dolores magnos patiebatur. Cæterum sanus erat.

Variis medicamentis tum interne tum externe sine effectu usus fuerat.

Apud nos sumpsit primo purgans, dein 5 Octobris incœpit de die extracti cicutæ scr. j. assumere, & externe pars decocto cicutæ diligenter fota est.

Toto mense Octobris cicuta usus est sine sensibili tumoris mutatione: cæterum bene habuit.

Initio Novembris sumpsit haustum N. 9. unde alvus decies mota est: dein ter de die incœpit extracti cicutæ scr. j. sumere, & omni octavo die ipsi purgans datum est.

Hac methodo sensim durities & tumor scroti ita minuta sunt, & sub finem Januarii nihil omnino superesse viderint magnificus

magnificus *Storck* & plures medici, qui ægrum antea sæpius inviserant.

Urina ex aperturis fistulosis raro & admodum pauca effluebat, hinc cum dolores quoque valde rari & lenes essent, ex nosocomio discessit.

CASUS XXXIII.

PUELLA 23. annorum, 17 Decembris anni 1762. ad nos delata est. Hæc ante tres menses post cerevisiæ frigidæ haustum matutino tempore antequam jentaculum sumpsisset, incœperat ventriculo dolere & ab assumptis cibis angi.

Dolor & anxietas in initio tolerabiles erant, verum intra sex hebdomadas ita increverant, ut ægra præ metu doloris & anxietatis sæpius alimentis abstineret.

Mense Octobris accessit vomitus, sæpius post cibos assumptos repetens: leviora tamen alimenta parva copia sumpta frequentius servabat ventriculus, donec mense Decembris incœperit etiam levissima vomitu rejicere.

Sic habuerat ad 13. qua medicus varia ipsi sumenda dedit, & externe appli-

cari jussit : quibus non obstantibus plu-
ries per diem vomere perrexit.

Dum puellam vidimus, aspectu sat
sana erat, respiratio parum impedita,
pulsus nihil mali indicans : verum in re-
gione epigastrica infra scrobiculum cor-
dis corpus durum tactu obscure perci-
piebatur.

Tentavi malum demulcentibus, pa-
regoricis, applicato externe scuto sto-
machico opiato, & omni die injectis
enematibus per sex dies superare, sed
incassum omnia adhibita fuerunt.

23 Decembris dedi ipsi sequens:

℞. Aq. florum rhæad. unc. vj.
Extract. cicut. dr. j.
Laudan. liq. syd. gutt. xx.
Syr. diacod. dr. vj.
M.

S. intra biduum cochlearium assumat.

Primo die mane bis vomuit & semel
post meridiem : bis vero postea assump-
tum jusculum retinuit, & noctem pa-
cate transegit.

24 & 25. Idem contigit : verum aie-
bat vomitum esse minus dolorificum.

26. Tantum semel binis horis post
prandium partem assumptorum rejecit :
ad alvum per biduum emanentem cien-
dam enema ipsi datum est.

Illi potus erat ex anaticis lactis, & decocti hordei partibus compositus, de quo sæpius parva quantitate hauriebat: juscula quoque & tenues panatellæ ipsi pluries per diem porrigebantur: scutum stomachicum ipsi molestum sponte abstulit, nec aliud dein habuit.

27 & 28. Non vomuit, & 29. sumpsit decoctum N. 20. a quo octies intra biduum alvus mota est cum aliquo anxietatis levamine; eadem tamen fere mansit infra scrobiculum cordis durities.

31 Decembris incœpit mixtura sequenti uti.

℞. Aq. flor. rhæad. unc. vj.
Extracti cicutæ dr. j. ß.
Syr. papav. alb. dr. vj.
M.
S. sumat ut priorem.

Sub usu hujus mixturæ ægra omni die alvum habuit, & 9 Januarii 1763. tantus erat appetitus, ut cibis liquidis minime contenta foret: quare cum jam per tot dies vomitu cessasset, parvam carnis vitulinæ portionem cum frustulo panis triticei concessimus, quæ avide manducavit: verum hora post pastum omnia vomitu rejecit, & vespere adhuc semel vomuit.

Perrexit ægra cicuta uti, carnibus denuo abstinuit: & vomitus iterum emansit.

14. Januarii invenimus epigastrium mollitiei naturalis: verum dolorem leniter urentem & majorem ad tactum ventriculi sensibilitatem conquerebatur.

Sumpsit denuo intra biduum decoctum N. 20. unde circiter decies purgata omnis dolor sublatus est, & ægra usque ad 20 Januarii omni medicamento abstinuit.

21. Data est ipsi rhei dr. j. quæ aliquoties alvum movit, & 23. vitulina & aliis tenerioribus carnibus cum bono appetitu & sine incommodo potuit vesci.

24. Dedi ipsi denuo extracti cicutæ in pilulas redacti gr. xvj. bis de die sumenda.

Ægra tunc multo melius colorata erat, & sensim carnes ita renatæ sunt, ut medio Februarii corpus naturalem torositatem haberet, ventriculo quoque tam bene habebat, ut bubulam & alia duriora alimenta sine incommodo comederet: cumque nihil amplius præternaturale in epigastrio quocunque modo premeretur, deprehendi posset, cicuta abstinuit.

6 Aprilis menstruorum fluxum habuit, quo caruerat toto tempore, quo apud nos fuerat, & 12. ad suos rediit sana.

CASUS XXXIV.

FEMINA 35. annorum 20 Decembris anni 1762. ad nos venit. Aiebat infantem sex annorum, qui apud illam in lecto jacere solebat, ante sex menses calcitrando pedem in mammam dextram valde impegisse: unde magnum dolorem perceperat, qui tamen applicato emplastro, quod ab obstetrice acceperat, sensim lenitus fuerat: mamma autem mole increvit quotidie & indurata est.

Dum ad nosocomium accessit, in mamma pars dura vere scirrhosa pugni mediocris virilis magnitudinis erat, fere immobilis, admodum dolorifica, & cutis illam tegens livescebat: cæterum femina sana erat.

Statim primo die incœpit cicuta uti: cujus extracti scr. j. bis de die pilularum forma sumpsit: externe fomentum & emplastrum cicutæ more nobis in his casibus solito applicata sunt: licuit ipsi

vitulina & aliis teneris carnibus vesci.

Per 13. dies in mamma nulla mutatio facta est, verum 14. die, qua cicuta utebatur, sive 2 Januarii anni 1763. dolores frequentiores & majores facti sunt, cum pulsu leniter febrili, quapropter præter cicutam emulsum paregoricum ipsi datum est.

7 Januarii mamma multum intumuerat; & ad latus externum papillæ locus erat magis elevatus, reliquo tumore mollior, in quo obscura fluctuatio percipiebatur : febris erat sat magna.

Abstinuit tunc ægra cicuta, & solis emulsis paregoricis usa est, & diæta omissis carnibus tantum ex cibis lenissimis, demulcentibus præscripta fuit : externe vero nihil mutatum est.

Suppuratio celeris fuit : decima enim Januarii jam maxima pars mammæ mollis erat materia fluctuante plena; dolores erant minores, & febris multum minuta : nihil tamen in methodo medendi mutatum est.

13. Mamma sponte ad latus externum papillæ aperta est, & magnam copiam puris tenuis, flavescentis, multis frustulis nigris fudit intermixti : remansit tamen ad latus internum papillæ pars dura ovi gallinacei magnitudine,

& parietes ulceris gangræna nigrescebant; in reliqua plaga suppurabat. Expertissimus Chirurgus fomento ex cortice peruviano & herba cicutæ parato ulcus tunc deligavit.

Febris cessaverat, & dolores erant leves, ægra tamen a febri debilitata erat.

Præter emulsum datum est ipsi sequens:

℞. Aq. flor. rhæad. unc. vj.
Extract. cort. peruv. unc. ß.
Syr. diacod. unc. j. ß.
Liquor. anod. mineral. scr. j.

S. omni trihorio duo cochlearia sumat.

Hac methodo ulcus sensim mundatum est, & 15. ejusdem Januarii in omni ambitu optimum pus conspiciebatur, usa est tamen dicta mixtura ad 18. qua cum omnia boni coloris essent, & pars dura post reliquæ molis suppurationem relicta immutata maneret, denuo incœpit bis de die extracti cicutæ scr. j. sumere, & solo cicutæ infuso & emplastro deligari: diæta mansit eadem ut ante.

Perrexit ægra bene habere, & durities relicta suppuratione sensim ita consumpta est, ut 2 Februarii tota mam-

ma mollis esset, & ulceris labia jam ad se invicem inciperent accedere.

Omni medicamento abstinuit, & tantum bis de die linteis carptis decocto cicutæ imprægnatis desuper emplastro cicutæ apposito ulcus deligabatur.

12. Cavitas ulceris omnino impleta erat, & in tota superficie rudimenta cicatricis conspiciebantur, unde solo tegebatur emplastro diapalmæ, quod servavit, quandiu in nosocomio mansit, licet intra paucos dies cicatrix formata fuerit.

13. Sumpsit rhei elect. dr. j. & 14. licuit ipsi carnibus facilioris digestionis vesci, vires sensim increverunt, & torositas tempore curæ amissa corpori restituta est.

24. Bubulam & alia difficilioris digestionis alimenta, cum alia appetitui satiando non sufficerent, incœpit comedere.

Initio Martii fluxerunt menstrua, quibus caruerat toto curæ tempore, & brevi post nosocomio discessit: illam mensibus Aprilis & Maii vidi optima sanitate gaudentem. Hanc vidit illustrissimus Præses in initio curæ eam quoque ad illum adduxi, dum nosocomio egressa est.

CASUS XXXV.

PUERUM undecim annorum curandum accepi ſexto menſe a quo tinea fœdiſſima laborare incœperat.

Per ſex hebdomadas varia efficaciſſima medicamenta ipſi ſine effectu ſumenda dedi, externe applicari juſſi.

Ad cicutæ extractum demum deveni, cujus gr. xvj. mane & totidem veſperi quotidie ſumpſit : dum ſimul bis de die decocto cicutæ caput lavaretur.

Hac methodo intra bimeſtre ſpatium tinea integre diſparuit.

Puer toto curæ tempore omnes functiones optimas habuit ; &, ſi quater datum lene purgans excipias, nullum aliud medicamentum ipſi adminiſtratum fuit.

CASUS XXXVI.

PUERUM novem circiter annorum mihi adduxit mater die ſabbati ante Paſcha anni 1762. habebat ille duodecim glandulas tumidas, duras partim ſub parte dextra & ſiniſtra maxillæ inferio-

ris & sub mento partim etiam circum collum. Omnes, aiebat mater, jam ortas esse, dum puer quartum ageret ætatis annum: occupabant præterea jam a semi-anno brachium sinistrum duo tumores duri, lividi, ovi gallinacei magnitudine. Abdomen tumidum, durum erat: puer emaciatus & coloris ex pallido flavescentis.

Prius sumpto leni purgante incœpit bis de die extracti cicutæ gr. iv. sumere, & tumores diu noctuque emplastro cicutæ tecti sunt.

Primo mense, quo cicuta usus est, tumores brachii sinistri suppurati sunt, & pus dilutum dederunt: abdomen paulisper collapsum est, multo mollius evasit, & æger alacrior fuit.

Initio Junii clausa erant ulcera per suppurationem tumorum brachii producta: bini alii tumores, unus nempe sub parte sinistra maxillæ inferioris & alter sub mento aperti, pus dederunt: reliqui vero immutati permanebant. Habebat tunc puer abdomen gracile, molle; colorem corporis naturalem; appetitum magnum; vires optimas & animum admodum hilarem.

Sic fuit per integros quatuor menses absque ulla tumorum colli mutatione,

illis duobus solis exceptis, qui initio Julii aperti sunt: hos enim suppuratione consumptos optima cicatrix obduxit.

Circa medium Octobris incœpit bis de die extracti cicutæ gr. vj. sumere.

Perrexit æger optime quoad omnes functiones habere; initio Novembris advertimus tumores minus duros fieri, & molem illorum paulisper minui.

Datum est posthac omni 14. die lene purgans & diebus intermediis usus est dicta cicutæ dosi.

Duo ex residuis tumoribus sensim ita minuti sunt, ut initio Januarii anni 1763. resolutione penitus curati essent; in reliquis autem res admodum lente procedebat.

Dedi tunc puero extracti cicutæ gr. viij. bis de die sumenda: verum ab hac dosi angebatur, & ventriculo dolebat: unde ad priorem dosin redivimus, quam sine incommodo continuavit sumere.

Sensim ita minuti sunt omnes tumores, ut sub finem Martii vix tertiam prioris molis partem haberent: æger vero fastidiebat medicamenta, & illa coacti fuimus per aliquod tempus suspendere.

Initio Maii denuo incœpit eandem

medicamenti dosin sumere, sensimque ita collapsa est tumorum moles, ut in plerisque sub finem Julii tantum superesset pars dura fabæ magnitudine, in aliis paulo major.

Comedit vero puer fructus horæos immaturos magna copia, unde valida diarrhæa laboravit, quæ omissa cicuta aptis medicamentis intra octo dies penitus curata fuit.

Sub finem Augusti prior cicutæ dosis denuo ipsi data fuit, qua usus est usque ad initium hujus quem vivimus anni, semper optime habens: verum ulterior mutatio in tumoribus nulla facta est, cæterum puer sanissimus est, & pro ratione ætatis torosus.

CASUS XXXVII.

FEMINA 43. annorum 1. Octobris ad nos venit cum fœdissimo cancro, mammam dextram occupante, quam aiebat a multis annis induratam, ante biennium incœpisse dolere & circiter ab anno apertam in cancrum evasisse.

Fundebat paucam saniem, & ægra enormes dolores patiebatur; admodum emaciata erat & viribus exhausta: sæpe

tussitabat, & subinde sputa flava ejiciebat; respiratio erat brevis, & ægra continuo supina in dorsum decumbere cogebatur.

In hoc desperatissimo casu ægræ ter de die extracti cicutæ gr. xvj. sumenda dedi, mollem diætam præscripsi & quotidie lactis mensuram semis cum decocto hordei hauriendam exhibui.

3. Octobris jam totus cancer pure optimo tectus erat, dolores multum leniti, respiratio major, & ægra copiosiora sputa expectorabat.

Binorum mensium spatio suppuratione ita consumptus est cancer, ut initio Decembris quintam prioris molis partem non superaret, dolores toto tempore tolerabiles fuerunt, & ægra, quæ ad nos venerat admodum tristis, & melancholica, spe futuræ sanitatis erecta, animi sat hilaris erat.

Pergebat tamen copiosa sputa ejicere, & vires non increscebant.

Extracto cicutæ usa est ad finem usque Decembris, quo tempore cum præteriti cancri vix vestigium conspiceretur, a cicuta abstinuimus, & omni arte conati fuimus vires sustinere & erigere; verum omnia incassum adhibita fuerunt

& ægra 28. Januarii anni 1764. mortua est.

Aperto cadavere inventus est pulmo sinister maxima parte durus & ulceribus plenus, dexter vero erat integre consumptus, & eam pectoris cavitatem aqua fusca replebat.

CASUS XXXVIII.

JUVENIS 25. annorum sub finem Martii anni 1763 ad nos venit. Hic jam a pluribus mensibus artuum dolore noctu increscente laborabat, & fauces circumcirca a lue venerea exulceratas habebat.

Dedi ipsi lene purgans, dein decoct. N. 26. exhibui intra biduum absumendum, & injectionibus ejusdem plantæ decocti bis terve per diem fauces elutæ sunt.

Post octiduum dolores multum remiserant & ulcera erant pura.

Sumpsit tunc æger. decoct. N. 27. eo cum effectu, ut 8. Aprilis doloris expers, & ab exulceratione faucium penitus curatus ex nosocomio discesserit.

Primis 15. diebus, quibus in noso-

comio fuit, diæta molli usus est; postea autem cibis etiam durioribus ipsi licuit vesci, toto curæ tempore functiones omnes bonæ fuerunt, licet præter cicutæ decoctum administratum ipsi fuerit nihil, nisi lene purgans, quod tertia vice repetitum fuit.

CASUS XXXIX.

FEMINA 28. annorum gonorrhæa tam acri jam per quatuor menses laboraverat, ut pudenda inde admodum erosa essent.

3. Aprilis nos accessit, & sumpto prius leni purgante usa est decocto N. 26.

9. Urinam multo minori cum dolore mittebat, & ulcera erant minus dolentia.

Sensim omnia ita in melius mutata sunt ut 28. ulcera cicatrice obducta essent, ægra nullos amplius dolores perciperet, & materies mucosa minime acris tantum pauca quantitate ex pudendis efflueret.

Perrexit tamen decocto cicutæ uti ad 8. Maii, qua vix de fluore albo quid supererat, & sumptis adhuc per octi-

duum lenioribus roborantibus perfectæ sanitati restituta ad labores rediit.

Quinquies hæc sub usu cicutæ purgans sumpsit, & optimum, quo antea carebat, appetitum recuperavit.

His duobus casibus similes multos habui, in quibus cicutæ extractum idem effecit, ac in his decoctum, quod ultimum tribus aliis feminis eodem fere modo affectis æquali cum effectu exhibui.

CASUS XXXX.

FEMINA 40. annorum scorbutica jam ab anno ulcus in crure dextro habebat, multam saniem fundens, quod ita proserpserat, ut, dum ad nos

11. Junii venit, a malleolo pedis externo ad mediam suræ partem crus occuparet, margines profunde exesos habebat: & valde sordidum erat, ægra in artubus superioribus dolores conquerebatur, & gingivæ facile sanguinem fundebant.

Decocto N. 26. statim incœpit interne uti & ulcus simili fere ejusdem plantæ decocto deligatum est.

14. Jam ulcus mundum erat, & co-

loris ſubrubelli, verbo intra quinque hebdomadas ulcus optima cicatrice obductum eſt.

Diſparuerunt artuum dolores; gingivæ colorem naturalem adeptæ ſunt, nec ullum amplius ſanguinem fuderunt, continuavit tamen cicutæ decocto uti ad finem Julii uſque, & initio Auguſti ſana ad ſuos rediit.

CASUS XXXXI.

FEMINA 23. annorum jam a vigeſimo ætatis ſuæ anno inferiorem cruris ſiniſtri partem tumidam, duram habuerat; menſe Martii tempore puerperii tumor exulceratus eſt, cruſque mole admodum increvit, & dum ad nos 22. Junii delata eſt, aiebat ſe jam per tres menſes ob magnos dolores & nimiam cruris, quod admodum durum & tumidum invenimus, molem lecto affixam fuiſſe, ulcus valde magnum fœtebat & ſordidiſſimum erat.

Sumptis per quatriduum omni die folior. cicutæ dr. II. in decocto & fomento cicutæ quotidie bis terve deligato crure ulcus mundatum eſt, nec ullam amplius fœtorem ſparſit.

Dedi tunc ægræ folior. cicutæ dr. III. in decocto quotidie absumendas, & perrexit expertissimus Chirurgus fomento cicutæ ulcus deligare.

Hac methodo quinque hebdomadarum spatio continuata, crus mollitiem naturalem acquisivit; disparuit tumor, ulcus coaluit, & ægra libero cruris usu gaudens, non multo post sanissima ex nosocomio discessit.

Plures similes ægros partim extracto cicutæ, partim ejusdem plantæ decocto felicissime curavi, omnium autem historias referre lectori tædiosum foret, sufficiat mihi dixisse quod non meminerim me in talibus casibus cicutam adhibendo ni ossa corrupta fuerint, scopum non attigisse.

COROLLARIUM Primum.

CICUTA in tumoribus internis ab obstructione ortis & viscerum indurationibus secure & egregio cum effectu datur, modo attentus sit Medicus ad mutationes illius usum subsequentes, in externis enim tumoribus a suppuratione nihil metuimus, quæ, si interna sit, ni in tali loco fiat, ex quo per aliquod emunc-

torium pus excerni queat, ægrum pessumdare poteſt, ergo ubi ſigna metum ſuppurationis internæ incutiunt, illam impedire debet medicus, ſopita, ſi adſit, febri, interrupto per unum vel plures dies cicutæ uſu &c.

Qui hoc modo cicutam in dictis caſibus exhibebit ægris, proderit ſemper, nocebit nunquam, & ſæpe caſus omni alteri pharmaco indomabiles radicitus curabit.

COROLLARIUM Secundum.

FORMICATIO & levis dolor in tumore duro antea indolente notat medicamenti ingreſſum & actionem in illum, ſi dolor intendatur, futuram ſuppurationem, ſubinde etiam ſcirrhoſæ maſſæ ſecuturam, a ſanis per gangrænam ſeparationem indicat.

Quid, dum interni ſunt illi tumores, in hoc caſu agendum ſit medico, dictum eſt corollario primo, in partibus vero externis vix præcaveri debet ſuppuratio, multi enim tumores nequeunt reſolutione curari, qui ſuppuratione ſat cito conſumuntur, & nullo modo cancer &

durissimi scirrhi tam celeriter a sanis separantur, quam per gangrænam.

COROLLARIUM *Tertium.*

SÆPE tamen scirrhi non admodum antiqui, & alii tumores duri, resolutione curantur.

In hoc casu, ubi cicuta tenax vascula infarciens attenuavit, & totum vel pro parte per vasa meabile reddidit, subinde datum purgans prodest, ni ipsa cicuta, ut quandoque fit, alvum leniter subducat.

COROLLARIUM *Quartum.*

UBI antivenereorum princeps mercurius sublimatus corrosivus, in spiritu frumenti solutus ob nimiam jam a lue venerea labefacta viscera exhiberi nequit, vel quando ægri illum non ferunt, cicuta efficax præbet medicamentum, dolores leniens, sopiensque, & ulcera sanans, & corpus teterrimo malo feliciter liberans.

COROLLARIUM *Quintum.*

CICUTA in primo, ſecundo & tertio ſcorbuti gradu egregiam opem fert; dum tenax ſerum ſolvit, acre a compedibus liberat, ac e corpore eliminat, vel illud aptum reddit, ut per diluentia aut alia evacuantia e corpore poſſit eliminari, hinc ulcera ſanat & omnia ſcorbuti ſymptomata lenit, ac ſimul cum morbo exſtirpat.

COROLLARIUM *Sextum.*

CICUTA circulationem liberiorem & æqualiorem reddit; glutinoſa enim & lenta a quibus obſtructiones in minimis vaſculis oriuntur, attenuat, ſolvit & vaſcula aperit; nec tamen ſanguinem aggreditur, qui ſub uſu cicutæ, etiam diu continuato, priſtinas ſuas qualitates integre ſervat.

COROLLARIUM *Septimum.*

In omni cancro ſalubris eſt cicutæ uſus, ſi enim ob viſcerum labem vel a nimia morbi diuturnitate viribus exhauſtum corpus, ſalutem perfectam adferre nequeat, dolores lenit, ſaniem rodentem in pus ſæpe admodum blandum convertendo & ſic morbum tolerabiliorem reddit, reliquoſque vitæ dies magis tranquillos.

COROLLARIUM *Octavum.*

Gangræna, quantum huc uſque obſervare potui, ſcirrhum & cancrum fere ſolum in juvenibus, vel ſaltem ſubjectis adhuc robuſtis, a ſanis partibus ſeparat.

COROLLARIUM *Nonum.*

Cicuta nullum reſpuit alimentum; valde acres tamen vel tenaces ſibi copioſe ſumpti nocent.

COROLLARIUM *Decimum.*

VINUM bonum moderate ſumptum prodeſt, nimia autem copia hauſtum omnia perturbat, dolores auget; ſuppurationem a cicuta productam ſupprimit, & ulcus exſiccat.

COROLLARIUM *Undecimum.*

IN lue venerea, ſcorbuto & ulceribus venereis & ſcorbuticis &c. folia cicutæ vaſe clauſo per ſemi-horam decocta optimo cum effectu, & æque ſecure ac extractum ejuſdem plantæ, exhiberi poſſunt, imo videntur etiam in ſcirrho & cancro æque efficacia ac ipſum extractum, anſam hoc credendi præbet mihi femina, quam cum peſſimo cancro naſum occupante ad noſtrum noſocomium miſit magnificus *Storck* & cui præter decoctum cicutæ nihil exhibui, in initio tantum omni die habuit folior. dr. II. in colatura lib. ß. aſſumendas & 5. die jam pus in omni ſuperficie cancri conſpiciebatur. Nunc vero folior. unc. ß. ad co-

laturæ unc. ix. jam per octiduum sumpsit absque minima in corpore excitata turba, & tanto cum effectu, ut tertia cancri pars jam suppuratione consumpta sit.

FORMULÆ:

FORMULÆ.

1) ℞. Rad. althææ. unc. j.
folior. althææ. m. j. ß.
conſciſſ. coq. c. ſ. q. aq. p. ½ horam
dein adde
folior. veron. m. j.
rad. fenicul. unc. j.
relinq. in fervida digeſtione per ¼
horæ vaſe clauſo
calat. lib. ij. adde
oxymell. ſimpl. unc. ij.
— ſquill. unc. j.
ſtib. diaphor. o. abl. dr. j. ß.
M. S. *Omni bihorio unc. ij. ſumantur.*

2) ℞. Semin. melon. unc. iij.
f. cum aq. hord. emulſ.
colat. lib. j. ß. adde
ſal. polychr. dr. j.
ſyr. althææ. unc. j. ß.
M. S. *Omni bihorio unc. ij. ſumat.*

3) ℞. Semin. melon. unc. ij.
f. cum aq. hord. emulſio.
colat lib. j. adde
ſyr. diacod. unc. j.
M. S. *Omni bihorio unc. j. vel unc. ij. ſumantur.*

4) ℞. Rob. sambuc. unc. iv.
sal. polychr. dr. j.
nitr. pur. dr. ß.

M. S. *Omni trihorio unc. ß.*

5) ℞. Semin. melon. unc. iij.
f. cum aq. hord. emulsio.
colat. lib. j. ß. adde
bol. armen. dr. vj.
syr. diacod. unc. ij.

M. S. *Omni bihorio unc. ij. sumat.*

6) ℞. Rad. sal. dr. ij.
consciss. coq. per ½ horam
colat. lib. j. adde
syr. althææ. unc. j.

M. S. *Omni trihorio unc. iij. sumat.*

7) ℞. Rad. sal. unc. ß.
coq. cum aq. q. s. p. ½ horam.
colat. lib. j. adde
laud. liq. syd. gtt. xx.
syr. diacod. unc. j.

M. S. *Omni trihorio unc. ij.*

8) ℞. Claret. fact. ex conserv.
flor. cordial. lib. j.
syr. diacod. unc. j. ß.
spir. sulph. p. camp. q. s.
ad gratiam.

M. S. *Sumat æger omni bihorio vel trihorio duo cochlearia.*

9) ℞. Folior. alexandr. dr. iv.
flavæ. cortic. critic. dr. ß.

ſal. polychr. dr. j. ß.
mann. calabr. unc. j.
m. infunde cum aq. fervid.
q. ſ. p. ½ horam vaſe clauſo.
colat. unc. iv. d: u.

10) ℞. Nitri puri dr. j.
ſyr. moror. unc. j.
aq. flor. rhæad. unc. viij.

M. S. *Omni bihorio vel trihorio unc. j. detur.*

11) ℞. Stib. diaphor. o. abl. dr. j. ß.
oxymell. ſquill. unc. j. ß.
aq. hyſſop. unc. viij.

M. S. *Omni trihorio unc. j.*

12) ℞. Sal. polychr. dr. ß.
ſyr. rub. ideam unc. ij.
rob. ribeſior. unc. j. ß.
vin. bon. auſtriac. unc. ij.
decoct. hord. lib. ij.

M. S. *Omni bihorio unc. j. ß. vel unc. ij. ſumantur.*

13) ℞. Camphor. gr. xx.
mucilag. gumm. trag. dr. j.
in mortario vitreo terendo ſubactis admiſce.
aq. flor. ſambuc. lib. j.
ſyr. diacod. unc. j.
nitr. ſtib. dr. ß.

M. S. *Omni bihorio unum vel duo cochlearia.*

14. ℞. Cortic. peruv. unc. j.
syr. flor. chamom. unc. ij.
aq. flor. samb. unc. xv.
vin. bon. austriac. unc. j. ß.

M. S. *Omni bihorio unc. j. ß. vel unc. ij. sumantur.*

15) ℞. Stib. diaph. o. alb. dr. j.
kerm. mineral. gr. xv.
sacchar. candi. alb. unc. j.
m. f. pulv. tenuissimus.

S. *Omni trihorio vel quarthorio parvum cochleare.*

16) ℞. Stib. diaph. o. abl. dr. j. ß.
kerm. mineral. gr. x.
m. f. pulv. tenuissimus, cui exacte miscendo adde
conserv. fumar.
— nasturt. aq.
— becabung. aa. unc. ij.

M. S. *Sumat omni bihorio duo parva cochlearia.*

17) ℞. Camphor. gr. xv.
semin. melon. unc. iij.
f. cum aq. hord. l. a. emulsio
colat. lib. j. ß. adde
syr. papav. alb. unc. j.

M. S. *Omni trihorio unc. ij. dentur.*

18) ℞. Spir. sulph. p. camp. dr. j.
aq. flor. rhæad. lib. j.
syr. papav. alb. unc. j. ß.

M. S. *Omni trihorio unum vel duo cochl.*

19) ℞. Rad. gramin.
— taraxaci aa. unc. vij.
conſciſſ. coq. cum. aq. q. ſ. per horam colat fortiter expreſſ. unc. xx. adde
ſyr. fumar. unc. ij.
ſal. polychr. unc. ß.
ſpir. nitr. dulc. dr. j.
M. *S. Omni trihorio unc. ij. ſumantur.*

20) ℞. Herb. mercurial. m. j. ß.
folior. alexandr. dr. iij.
coq. cum aq. q. ſ. p. $\frac{1}{2}$ horam vaſe clauſo.
colat. lib. j. ß. adde
ſal. polychr. dr. ij.
ſyr. roſar. ſolut. unc. j. ß.
ſpir. nitr. dulc. gtt. xx.
M. *S. Omni trihorio unc. ij. ſumantur.*

21) ℞. Stipit dulcamar. unc. ij.
leviter contuſos infunde cum aq. fervid. p. $\frac{1}{2}$ horam, ſub finem momento ebulliant.
colat. lib. j. ß. adde
oxymell. ſimpl.
mell. pector. aa. unc. j.
M. *S. Omni bihorio unc. j. vel unc. j. ß. ſumatur.*

22) ℞. Scammon.
reſin. jalap. aa. gr. v.
maſſ. pilul. extract. cathol. gr. x.

ſpir. vin. q. ſ.
m. f. pilul. n. vj.
S. *Mane omnes ſumat.*
23) ℞. Rhei elect. dr. ß.
ſcammon. gr. viij.
ſal. polychr. gr. x.
ol. ſtillat. fœnicul. gtt. j.
M. F. *Pulv. mane ſumendus.*
24) ℞. Rad. jalap. ſcr. j.
reſin. jalap. gr. ij.
ſal polychr.
ſacchar. alb. aa. gr. x.
M. F. *Pulv. mane ſumendus.*
25) ℞. Sal. polychr. dr. j.
conſerv. naſt. aq. unc. v.
M. S. *Quater vel quinquies per diem ſumat unc. ß.*
26) ℞. Folior. cicut. unc. ß.
coq. p. ½ horam cum aq. q. ſ. vaſe clauſo.
colat. lib. j. adde
ſyr. althææ. unc. j.
M. S. *Quater de die ſumat unc. j. ß.*
27) ℞. Folior. cicut. dr. vj.
coq. cum aq. q. ſ. p. ½ horam vaſe clauſo.
colat. lib. j. adde
ſyr. althææ vel diacod. unc. j.
M. S. *Uſus ut prioris.*

HENR. JOSEPH. COLLIN,

Nosocomii Pazmanniani Physici Ordinarii, & Sacræ Cæsareo-Reg. Apost. Majest. regim. infer. Austr. Consiliarii

OBSERVATIONUM CIRCA *MORBOS ACUTOS* ET CHRONICOS FACTARUM.

PARS SECUNDA.

PRÆFATIO.

En, amice Lector, secundam Observationum mearum partem, in qua quidem de acutis Morbis nihil continetur: morbus enim notabilis ab anno 1760 usque ad annum 1770, nullus Epidemicus fuit: quæ tamen minus communia occurrerunt, notavi, & data occasione publici juris fient.

Varia de chronicis & medicamentorum quorumdam viribus maturius typis mandassem; ni desiderium illa magis magisque confirmata videndi remoram posuisset. Gravis dein morbus epi-

demicus Regna vicina & demum Austriam anno 1770 invadens, tanta negotia facessivit, ut typis aliquid mandandi non vacaverit tempus. Cum autem, favente Deo, nunc remittat hæc epidemia, unam observationum partem post alteram interposito brevi intervallo Typographiæ tradam: observationesque fideli calamo scribere pergam, persuasus hanc principem esse viam, qua Ars Medica progressus facere possit.

Cautus ero semper, ne aliorum famæ noceam, & si in morborum anamnesi aliquid occurrat, quibusdam minus favens, illorum nomina reticebo.

Objectiones contra me factas, si solida experientia & exacte

factis obſervationibus deſtitutæ ſunt, floccifaciam; ſi me meliora docuerint, lubens admittam, & mutabo ſententiam.

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT PRIMUM

DE

COLCHICO IN HYDROPE.

CASUS PRIMUS.

VIGINTI trium annorum puella jam a pluribus mensibus ascite anasarca & tussi inani laborans, multisque medicamentis sine effectu usa, undecima Septembris anni 1764 ad nostrum nosocomium delata quindecim dierum spatio oxymellis colchici unc. xxx, sine levamine, absumpsit. De hujus medicamenti in hac ægra efficacia desperantes, omnia alia in arte nota medicamenta antihydropica per quatuor menses incassum adhibuimus; imo sub finem quarti mensis uterque hydrops ita increvit, ut ægra brevi suffocanda videretur. In his

angustiis ad oxymel colchicum denuo confugimus, dedimusque hujus unc. iv. omni die absumendas.

Sequenti die ægram invisentes copiam urinæ ab ipsa redditam sedecim libras medicas excedentem invenimus.

Perrexit ægra eadem medicamenti dosi uti, & urinis magna copia constanter missis, intra tres hebdomadas ab omni tumore hydropico perfecte liberata fuit; tussis autem mansit, qua sub finem Aprilis anni 1765. sputa purulenta striis nigris mixta incœperunt ejici, quæ licet continuarint usque ad finem anni modo majori, modo minori copia excerni, ægræ vires bonis alimentis & aptis medicamentis ita reparatæ, & conservatæ sunt, ut post mensem Maium raro interdiu debuerit decumbere.

Ineunte anno 1766. in vehementissimam febrim inflammatoriam cum doloribus punctoriis hypochondriorum, epigastrii & variarum pectoris partium, tussi frequenti sicca, pulsu durissimo, lingua & toto corpore siccissimis incidit, quæ ter instituta binis primis diebus larga venæ sectione & medicamentis emollientibus antiphlogisticis sensim minus vehemens reddita, erumpente septimo die sudore copioso per totum

corpus æquali, ſputis coctis ſubpurulentis ſat facile excretis, doloribus pectoris & hypochondrii dextri ſilentibus ita mitigata eſt, ut brevi integram judicationem ſperaſſemus, niſi obtuſus dolor ſub ultimis coſtis ſpuriis lateris ſiniſtri & epigaſtrii ſuſpenſos tenuiſſet animos.

Uſque ad decimum quartum morbi diem manſit fere in eodem ſtatu: poſtea autem evaſerunt ſputa ſincere purulenta, copioſa: febris per diem lenta incœpit omni veſpere exaſperari, dolore hypochondrii ſiniſtri cum febri increſcente.

Diæta lactea & medicamentis in tali caſu indicatis uſa eſt ægra uſque ad finem Januarii ſine levamine: auctus eſt lateris dolor & tenſio, & initio Februarii trium dierum ſpatio pus pluries magna copia vomuit, ſputis reddidit, & per alvum excrevit cum magna doloris & tenſionis remiſſione.

Continuato medicamentorum emollientium, mellitorum expectorantium & diætæ lacteæ uſu febris hectica ſenſim multum imminuta fuerat, & lateris dolor & tenſio evanuerant, continuante ſputorum purulentorum copioſa excretione.

Decima octava Februarii totus corporis habitus incœpit intumescere, ac sequenti die ægram invisens inveni illam anasarca occupatam.

Præter medicamenta pectoralia oxymell. colchic. unc. II. per diem sumpsit, sicque effectum est, ut intra decem dies anasarca disparuerit; tussis multo rarior & expectoratio paucior evaserit, respiratione pleniori & liberiori reddita; continuavit tamen adhuc per octiduum oxymell. colchici unc. j. quotidie sumere, ac postea aliis aptis medicamentis & congrua diæta utens carnes & vires ita recuperavit, ut mense Junii potuerit servitium ingredi, in quo officio coquæ adhucdum fungitur, optime valens.

CASUS SECUNDUS.

FEMINAM 20. annos natam vigesima Aprilis anni 1765. magno ascite & ingenti anasarca laborantem magnosque dolores in toto abdomine conquerentem curandam suscepi: novem elapsæ erant hebdomadæ a puerperio, quo feliciter defuncta fuerat, & ab eo tempore dolores lancinantes sæpius repetentes, qui

a regione epigaſtrica per totum abdomen propagabantur, illam afficiebant. In cruribus dolor urens, decimo quarto a partu die ortus, continuavit donec decima tertia Aprilis ſubito cruribus, dein toto corpore intumuerit. Hoc in ſtatu malo conſilio bis vena ſecta fuerat, ac tertio venæ ſectio tentata: verum tunc nullus amplius ſanguis ex vena effluxit.

His venæ ſectionibus ad maximam debilitatem redacta fuerat ægra & hydrops uterque ita auctus fuerat, ut ſuffocationem continuo minaretur. Alvus non niſi enemate ſollicitata jam per plures dies exonerabatur, & urina quam pauciſſima prodibat: appetitus erat paucus, ſitis autem nulla, & pulſus præ tumore nullus inveniri potuit.

Acrium & corpus turbantium medicamentorum uſum prohibebat nimia corporis debilitas: hinc ſolo oxymelle colchico curam aggreſſus, illius unc. j. ß. omni die abſumendam ægræ, cibis veſcenti eupetis, dedi.

Statim prima die magnam urinæ copiam miſit, & diureſis tam felici cum ſucceſſu continuavit, ut ab omni hydrope intra quinque hebdomadarum ſpatium integre liberata fuerit, func-

tionibus in integrum restitutis: ægram tamen in nosocomio, donec & carnes & vires corpori emaciato sufficientes renatæ essent, retinui, & 19. Julii sanam, viribus valentem ad suos remisi.

CASUS TERTIUS.

UNDECIM annorum puella tertia Octobris ad nos delata est: tussi valida admodum, qua nihil præter spumam & serosum quid ejiciebat, jam a quatuor annis vexabatur, & octo dies elapsi erant, ex quo tumere incœperat.

Totum corpus ingens anasarca occupabat; abdominis cavitas aqua impleta erat, & decubitus ob respirationis difficultatem raro possibilis: diarrhæa quoque frequens, cum siti & abdominis torminibus jam per sex dies durans ægram multum debilitabat.

Partim ad tussim leniendam, partim ad sedandam diarrhæam decoctum demulcens, & paregoricum per quatuor dies sumpsit, quo quidem diarrhæa sopita & alvus in naturalem mutata: tussis vero & anxietas eadem vehementia ac ante perrexerunt, & sæpius recurrebant magna abdominis tormina.

Septima Octobris præter decoctum memoratum quod N. 1. videri potest. oxymell. colchici unc. j. per diem absumere incœpit. Sequenti die facilior tussis erat; sputa glutinosa magna quantitate ejiciebat, & ægra intra quatuor dies magnam in respirando facilitatem adepta est, atque tumoris hydropici incipiens collapsus manifeste conspiciebatur. Urinæ tamen copia, nychtemeri spatio missa, vix tres libras medicas æquabat: dejectio alvina omni nota naturalis erat, nec de abdominis doloribus amplius conquerebatur.

Undecima Octobris data est ipsi oxymellis colchici unc. j. ß. omni die absumenda, qua perrexit uti ad vigesimam quartam ejusdem mensis diem, pergente ut prius diuresi, & omnibus ita sensim in melius mutatis, ut oxymellis colchici usui supersedere potuerimus; etenim respiratio liberrima erat; tussis cum sputis evanuerat, nec ullum de ascite & anasarca supererat vestigium.

Per octiduum usa est sequenti medicamento.

℞. Conserv. cochleariæ.

Becabung. aa. unc. j.

Limat. mart. ſubtil. ſcr. ß.

M.

S. intra biduum abſumat.

Sub hujus medicamenti uſu veſcebatur ægra cibis reconvaleſcentibus dari ſolitis, per cubiculum toto die deambulans, ac cum ultimis diebus ſanarum diæta uteretur; parentes illam quinta Decembris domum receperunt, optima ſanitate & viribus gaudentem.

CASUS QUARTUS.

QUADRAGINTA duorum annorum femina ante ſex menſes menſtruorum fluxu carere incœperat: quibus ceſſantibus tuſſis inanis validiſſima illam corripuit, accedente ſimul tanta reſpirationis difficultate, ut in lecto inſomnis & erecto corporis trunco in magnis anxietatibus fere omnes dies nocteſque tranſegerit.

Paucis ab initio ferinæ illius tuſſis elapſis diebus abdomen mole majus ſolito fieri, & facies, manus, pedeſque tumere incœperunt, tumorque brevi totum corpus occupans in valde magnam molem increverat.

Ægram hanc primo ſexta Julii anni 1765. vidimus: tuncque omnibus præ-

dictis ſymptomatibus laborabat, & præ aſcitis magnitudine ingentique anaſarca corpus nullo modo movere poterat: admotis pulvinaribus ſitus erectus corpori conciliabatur, ut ſuffocationem diutius effugeret. Urina jam a multis hebdomadibus guttatim pauciſſima quantitate effluebat, & alvus erat admodum tarda; appetitus erat nullus, ſitis quoque nulla.

Variis medicamentis incidentibus hydragogis & diureticis per plures dies adhibitis, ægra nullum ſenſibile levamen percepit, donec oxymellis colchici unc. j. ß. omni die abſumendam dederim, a quo, jam ſecundo, quo illo utebatur, die, ad lib. ij. & ultra excreta eſt urina, & tuſſi multo minus violenta, quam ante, magna ſputorum glutinoſorum copia reddebatur.

Hac medicamenti doſi uti perrexit uſque ad vigeſimam ſecundam Julii, urinæ & ſputorum evacuatione bene procedente, ſuccedente quotidie ſemel, quandoque bis dejectione alvina molli ſic corporis habitus mollis evaſit, minus tumidus & abdominis moles manifeſte minuta eſt, liberius reſpirabat ægra, & ſeipſam erigere ſolaque comedere

poterat: naturalis autem decubitus vix adhucdum ipsi possibilis erat.

Ut cura acceleraretur dedi ipsi oxymellis colchici unc. ij. per diem sumendas, qua dosi usque ad secundam Augusti usa est cum diureseos augmento, collapsu majori tumoris, tussisque & sputorum magna imminutione, & sensim facilior redditus est decubitus.

Aucta est medicamenti dosis ad unc. iij. per diem, qua dosi ad vigesimam quartam Augusti usa ab omni hydrope & tussi & reliquis omnibus hydropis symptomatibus liberata fuit. Maximam diei partem extra lectum & per cubiculum deambulans transigebat, noctu somno pacato reficiebatur & omnes corporis functiones bonæ erant.

Usa est tunc ægra conserv. antisc., cui addita erat limat. mart. scr. ß. ad decimam usque Septembris, qua die cum alvus non debite procederet pulv. hydragog. sumpsit, ac postea omni medicamento abstinuit & vigesima quarta Septembris sanissima discessit.

CASUS QUINTUS.

VIR 55. Annorum 29. Octobris anni elapsi ad nostrum nosocomium delatus est: corripuerat illum tussis frequens, sicca, jam ante tres menses, quæ sensim valde increverat: jam a tribus hebdomadis admodum anxie spirabat, & nonnisi per brevia intervalla decumbere poterat; accesserat quoque crurum femorumque tumor, & facies artusque superiores ac abdomen mole augeri incœperant, & brevi ad maximas angustias redactus fuerat æger.

Dum primo illum vidi, præsente doctissimo *Mathæo Storck*, magni Hetruriæ Ducis Medico, qui maximæ horum casuum partis testis diligens fuit; ascites magnus & admodum tumidus; anasarca ægrum occupabant; aderat summa anxietas; decubitus impossibilis; inanis ad tussim conatus; livescebat facies, manus & crura; livida erant labia, aures, palbebræ & cadaveroso frigore, sicut artuum extremitates, occupabantur; alvus erat tardissima; urina non nisi guttatim jam in tertiam

hebdomadem & paucissima quantitate reddebatur.

Visis omnibus his pessimis symptomatibus de ægri curatione desperabamus, suo fato tamen ægrum relinquere noluimus, & dedimus illi oxymellis colchici unc. ij. ut per diem absumeret, & statim primo die urina sat magna quantitate pluries missa fuit.

Per quatuor dies eadem dosi medicamenti usus sat magnam aquarum copiam diuresi reddidit, verum vix inde levamen adverti poterat, & alvus per plures dies clausa manebat.

Tertia Novembris decoctum N. 3. bono cum effectu sumpsit, dein priori colchici dosi perrexit, uti, qua tanta urinæ evacuatio facta est, ut intra decem dierum spatium omnis hydrops disparuerit, reddita respiratione liberrima, absente tussi, ægro facillime decumbente & pacatum somnum appetitumque bonum habente, alvique exoneratione naturaliter procedente.

Ne tamen in cavitatibus aqua adhuc latitaret, eadem medicamenti dosi usus est usque ad decimam-nonam Novembris, qua incœpit unicam unciam per diem sumere; & hoc modo continuavit

usque

usque ad vigesimam sextam cibis eupetis vescens.

Demum sequentem conservam ipsi præscripsi intra triduum absumendam.

℞. Conservæ cochleariæ.
oxymell. colchici aa. unc. ij.
limat. mart. o. rubigin. scr. j.
M.

Hoc medicamento usus est usque ad sextam Decembris diem, qua cum solidioribus cibis sine incommodo jam per plures dies vesceretur & ad solitos labores obeundos se robustum satis crederet, diutius in nosocomio manere recusavit.

CASUS SEXTUS.

OPERARIUS 45. annorum, antea militiæ serviens, ante sex annos in castris militaribus degens diu, modo supra glaciem, modo in aqua frigida stare debuit, & tussim inde validam, inanem contraxit, ob quam diu in nosocomiis militaribus detentus a medicis præscripta varia medicamenta sollicite sumpsit: verum ab his nullum levamen secutum est. Multis postea continuo usus est medicamentis contra tussim, sed sine effectu, ante

annum tussi accessit ascites, cui, brevi post, se adjunxit anasarca.

Acceptis ex nosocomio hispanico medicamentis ab hoc tempore usus est, quibus aliquoties hydropicus tumor paulisper minutus, nunquam autem ex integro dispulsus, brevi denuo prius volumen acquisivit, tussis autem immutata permansit, & ab eo tempore, quo incœpit tumere corpus, decubitus illi in sinistrum latus impossibilis fuit.

Octava Octobris illum primo vidi, & totum corpus tunc anasarca occupabat; ascites admodum magnus erat: tussis vehementissima, sicca; facies livescens; & æger, sive jacens, sive sedens admodum inquietus continuo situm præ anxietate mutabat; urinam paucam dimittebat, dejectio autem alvina tenuis, pluries sponte per diem aderat.

Data est ipsi dupla dosis decocti radicis salab, & omni die oxymell. colchici unc. ij. assumpsit.

Statim æger levamen habuit, & sæpe decies octies, imo vigesies nychtemeri spatio urinam quaque vice ad plures uncias octo primis diebus mittere debuit, donec anasarca integre disparuerit, postea vero minus frequens fuit diuresis, & alvus antea tenuis naturalis evasit.

Perrexit tamen urinæ evacuatio egregie procedere, tuſſis ſenſim lenita & aſcites de die in diem ſenſim ita minutus eſt, ut ſub finem Novembris nullum ſui indicium amplius præberet, tuſſis penitus ceſſaverat & æger in utrumque latus facile decumbebat; appetitus erat optimus, ſomnus bonus; vires tam bonæ, ut per cubiculum deambulans magnam diei partem conſumeret; paucis, omnium functionum debito exercitio gaudebat.

Vigeſima ſexta Novembris incœpit conſerva N. 3. uti, continuavit ad ſeptimam Decembris uſque, & ſanus robuſtuſque decima Decembris ad ſuos labores rediit.

CASUS SEPTIMUS.

OPERARIUS 51. annos natus, duodecima Novembris ad nos delatus eſt. Hunc hominem poſt multum panem prunaque comeſta, potamque deſuper cereviſiam, octo jam antea, quam ad nos deferretur, hebdomadis febris quotidiana prehenderat, qua adhucdum afficiebatur, dum illum curandum ſuſcepimus.

Tempore paroxysmi febrilis frequenter inani tussi vexabatur, & jam a quatuor hebdomadibus abdomine tumere incœperat, ac decubitus in dorsum ipsi erat impossibilis.

Dum illum primo examinavi, levi anasarca laborabat, & magno ascite, febris per paucas tantum horas intermittens illum multum debilitaverat; tussis erat frequens, vehemens, qua quandoque aliquid mucosi ejiciebatur.

Datum est illi sequens:

℞. Oxymell. colchici unc. iv.
sal. polychr. dr. iij.
M.

S. Intra biduum totum sumat.

Usus est hoc medicamento usque ad 24. Novembris, tumore vel nihil vel admodum parum collabente, licet sat copiosa urina excerneretur, & alvus liquida quotidie bis quandoque ter exoneraretur: febris paulo lenior evaserat, & tussis raro ægrum invadebat.

Vires autem magis magisque deperdebantur, hinc præter prius medicamentum data est illi mixt. N. 4. qua febris penitus fugata est.

Solo postea oxymelle colchico ad unc. ij. per diem usus est. Aquarum evacuatio optime processit, alvus liquida in

naturalem mutata eſt, & decima Decembris anaſarca penitus diſparuerat & aſcites vix amplius ſenſibilis erat, tuſſis rariſſima, vigente appetitu: viribus inſurgentibus, decubituque in dorſum diuturniori, faciliori, & accedente ſomno ſæpius ſat longo, reficiente.

Perrexit eadem medicamenti doſi uti ad vigeſimam Decembris uſque, qua die cum nullum amplius hydropis indicium ſupereſſet, data eſt illi conſerv. N. 3. ſub cujus uſu vires magis magiſque auctæ ſunt, & initio Januarii anni 1766. ſanus & robuſtus ad ſuos rediit.

CASUS OCTAVUS.

MULIER 29. annorum, plurium prolium mater, ante biennium ultimo partu defuncta, & ab eo tempore catameniis carens, cæterum toto hoc temporis intervallo ſana & ſolitis laboribus exercitata, declinante Octobri proxime elapſo in febrim quartanam incidit, cujus paroxyſmos novem perpeſſa eſt.

Paroxyſmorum tempore introtractione hypochondriorum dolorifica & abdominis torminibus multum vexaba-

tur, totoque, quo febris duravit, tempore, diarrhæa frequenti laboravit & magna siti.

Ter intercalaribus diebus assumptis cujusdam tincturæ a mercatrice acceptæ guttis v. febris fugata est, cujus ultimo tempore totus corporis habitus intumuerat.

Sublata autem febre intumuit quoque abdomen, & incassum medicamenta varia aquarum evacuationi promovendæ apta adhibuit.

Omnia enim in pejus cito ruerunt, & dum septima Decembris illam vidi, abdomen erat ingentis mollis, tensum, pressioni manus difficile cedens & præ hydropis intercutis magnitudine vix fluctuationis indicium percipi poterat; ultimis octo diebus quibus domi degerat, per plura minuta magnam vim adhibere debuerat, ut aliquot urinæ guttulas exprimeret, huncque laborem frequenter repetere cogebatur, diarrhæa usque ad suum in nosocomium ingressum continuavit, ibi brevi sedata.

Tumidissimis pudendis fomentum ex herbis resolventibus & discutientibus diligenter applicatum est, & statim ægra incœpit oxymell. colchici unc. ij. per diem sumere.

Tanta, intra biduum, urina facile & magna copia prodeunte, sudoribusque toto corpore sæpius æqualiter erumpentibus, facta est aquarum evacuatio, ut nona Decembris ad minimum una tertia prioris molis parte ascites & anasarca minores fuerint.

Cum urina tunc facile mitteretur, fomentum ablatum est, & continuavit ægra eadem oxymellis dosi uti.

Duodecima Decembris omnes artus & facies fere detumuerant; ascites pergebat insigniter minui, siti, qui antea aderat, omnino absente, ingens erat appetitus, sponte omni die alvus naturalis exonerabatur; & sæpius somno pacato reficiebatur.

Perrexit ægra usque ad vigesimam Decembris eadem medicamenti dosi uti, iisdem & eodem modo ac antea evacuationibus pergentibus; cumque tunc omnis hydrops disparuisset, ab omni medicamento abstinuit, & cibis eupetis solummodo usa est. Alacris erat ægra, & sæpius ex lecto surgens per cubiculum deambulabat; cumque medicamenta roborantia ipsi propinare vellemus floccifactis nostris monitis, post festa natalitia ad suas proles rediit, promisit tamen se

redituram, si aliquid mali ipsi accideret, ast huc usque non rediit.

CASUS NONUS.

PUELLA 25. annos nata, torosi semper corporis habitus, rusticis laboribus assueta, menstruis debito modo semper gavisa, cibis ut plurimum frigidis & crudis vesci solita, ac a juventute vomicis pulmonum quater quinquiesve per annum ruptis & cum fœtore per sputa evacuatis obnoxia, tussique valida vix integris annorum decursibus unquam intermittente vexata, sub finem Septembris anni 1765. emanentibus catameniis in validam febrim quartanam incidit, cujus tempore tussis multum intensa est.

Jacuerat in aliquo hujus civitatis nosocomio, in quo a febri curata fuerat, manserat autem tussis, & antequam febris fugaretur, pedes ædematosi evaserant.

Pedum tumores floccifaciens, & non sperans se a tussi liberari posse, ex nosocomio illo duodecima Octobris exivit paucis diebus a sublata febre elapsis.

Per paucas dies cum difficultate so-

litos labores peregit, & brevi totus corporis habitus aqua intercute intumuit, ac abdomen magnam in molem increvit.

Dum nona Decembris illam primo vidimus, abdomen aqua plenissimum ingentem in modum protuberabat, & totum corpus anasarca valde tumebat: stertor magnus & continuus ingratissime antequam cubiculum intraremus aures feriebat, & vix verbum proferre poterat; facies & artuum extremitates valde livescebant, & urinæ ac alvi excretio jam a tribus diebus erat intercepta; situque semi erecto supine decumbens, nec sedere valens, brevi videbatur suffocanda.

Præsentibus tamen his mortis teterrimis insigniis, licet admodum exigua spe ducti ad oxymell. colchicum confugimus, intra aliquot horas circiter unciam unam, circa vesperas, cum post meridiem ad nos delata fuisset, ægræ ingessimus, quæ noctu fere libram urinæ misit.

Sequenti die respiratio aliquantisper minus difficilis videbatur, & ægra incipiebat sputa mucosa tussi laboriosa reddere.

Datæ sunt binæ oxymellis unciæ, ut

M 5

per diem absumeret, & præter hoc ad tussim leniendam usa est decocto N. 1.

Urinæ excretio copiosior fuit, quam noctu fuerat, ægra leni sudore per totum corpus usque ad artuum extremitates æquali tota die nocteque sequenti maduit, & naturalis alvi dejectio sponte successit.

Undecima Octobris omnia eodem modo perrexerunt; livescens faciei & extremitatum artuum color fere integre disparuerat, magnamque sputorum glutinosorum copiam ejecerat.

Duodecima Decembris ægra non amplius semi-erecto, sed situ naturali & facillime decumbere poterat; somno protracto, quo per multas dies caruerat, noctu refecta: sputa multa glutinosa ejecerat, & adhucdum ejiciebat; tussis erat facilior, minus frequens; stertor aberat & respiratio erat facilis, continuabat ægra per vices æquabili sudore perfundi, urina laudabili quantitate excernebatur & tumor incipiebat collabi.

Incœpit ægra oxymellis colchici unc. iij. per diem absumere, tota nocte dormivit, nec tussi excitata fuit, quapropter admodum gaudebat ægra & tam paca-

tam noctem aiebat se non transegisse a multis annis, ultra decem libras urinae 24. horarum spatio cum magno abdominis & totius corporis collapsu excreverat.

Perrexit ægra eadem oxymellis dosi uti, diuresis abundantissima constanter se sustinuit; ægra nihilominus sæpius diu noctuque sudore perfusa est, naturali alvi dejectione quotidie sponte succedente, tussis facilior & rarior sensim facta, sputorumque copia de die in diem minuta est; & omni nocte pacatissimus somnus adfuit.

Vigesima Decembris totus corporis habitus integre ab aquis liberatus erat, exceptis pedibus & inferiori crurum parte, quæ adhuc molli tumore affecta erant; abdomen erat penitus collapsum, molle, nec minimum restitantis in illo aquæ indicium supererat, tussis erat rarissima, appetitus magnus, sitis nulla, & reliquæ functiones bonæ erant.

Ne nimia diuresis ægræ multum emaciatæ noceret, unicam tantum oxymellis colchici unciam per diem ipsi dedimus, & intra paucas dies pedes & crura integre detumuerunt.

Vigesima quarta Decembris præter leviores facile digerendos cibos, quibus

eo usque usa fuerat, quotidie portionem carnis vitulinæ, quam valde appetebat, concessimus.

Hac diæta binis diebus usa incœpit nauseare, & incidit in febrim tertianam, quo tempore præmisso leni purgante, quod nauseam sopivit, omni die oxymell. colchici unc. j. cum sal. polychr. dr. j. absumpsit.

Tertio paroxysmo incœpit denuo hydropica fieri, & quarto tumor magis auctus est; hinc secunda Januarii mixtura. Cum cortice peruviano simul cum priori colchici dosi illi dedi, qua bis repetita febris penitus emansit.

Fugata febri per quinque dies quotidie oxymell. colchici unc. ij. sumpsit, & sic, qui incœperat renasci hydrops anasarca denuo integre dispulsus est, ægra autem multum debilitata erat.

Undecima Januarii incœpit uti conserv. N. 3.

Hoc medicamento semel repetito & cibis eupetis ægræ vires ita erectæ sunt, ut in lecto diutius manere noluerit. Continuavit hoc medicamento uti ad 18. Januarii & vigesima quarta cum sanarum cibos jam per aliquot dies sine incommodo comedisset, & viribus valeret,

ab hydrope, febri & tuſſi perfecte curatam ex noſocomio dimiſimus.

CASUS DECIMUS.

SUTOR trigeſimum ætatis annum agens, aliquot ab hinc milliaribus degens, die vigeſima prima Septembris anni 1765. comeſta multa carne ſuilla & deſuper vini media menſura pota in validam febrim tertianam inciderat, cujus aliquot paroxyſmos perpeſſus balneatorem ultima Septembris acceſſit qui pro medicamento ipſi venam ſecuit.

Poſt venæ ſectionem incœperunt pedes per diem œdematoſi fieri, noctu primis diebus denuo collabentes: procedente vero tempore tumidi manſerunt, & tumor brevi femora occupavit. Circa medium Octobris incœpit abdomen mole augeri, & ſub finem ejuſdem menſis abdomen jam valde prominebat: ac febris tertiana ſuum typum ſervabat; tempore paroxyſmi æger anxius erat, & validos capitis dolores patiebatur.

Dedit illi tunc balneator rob. juniperi aliis medicamentis acuatum & varia alia, quibus ultra menſem cum aliquo

tumoris artuum inferiorum collapsu usus est: immota autem manente febre & abdominis mole sensim assurgente.

Postea nullis amplius ibi medicamentis uti voluit, se Viennam rustici curru vehendum decima quinta Decembris curavit, ut hic curaretur: & decima nona Decembris ad nostrum nosomium delatus est, ascite admodum tumido laborans, & artubus inferioribus aqua intercute valde distensis, febri tertiana vehementi adhucdum suum typum servante; jam a pluribus diebus exigua erat urinæ excretio: alvus tarda tantum omni tertio vel quarto die exonerari solebat; appetitus erat bonus & nullam sitim extra febrilem paroxysmum conquerebatur.

Dedi illi per diem oxymellis colchici unc. ij. absumendas, & statim tanta urinæ copia diu noctuque excreta est, ut ascites binis tertiis intra quatuor dies prioris suæ mollis partibus minutus & artuum inferiorum tumor multum collapsus sit, febri multo mitiori reddita, & sublata, quæ aderat antea tempore paroxysmi anxietate: alvus autem immorigera suppositorio sollicitari debebat.

Vigesima sexta Decembris ab ascite

penitus liberatus erat, & nihil amplius advertebatur de crurum tumore. Cum autem febris ægrum jam debilem continuaret invadere, præter solitam colchici dosin mixtur. N. 4. incœpit sumere, qua ter repetita a febre liberatus est.

Usus est postea ad sextam Januarii usque solita dosi oxymellis colchici: deinde data est ipsi conserv. N. 3. qua per duodecim dies usus est, bonis alimentis nutritus. Vires denuo renatæ sunt, & sub finem Januarii sanus robustusque dimissus est.

CASUS UNDECIMUS.

VIR 44. annorum artem sartoriam a juventute exercens, anno 1763. adulto jam vere, difficili respiratione, sensim valde anxia reddita, laborare incœpit.

Ineunte autumno anxiati supervenit tussis valida, primis diebus sicca, valde dolens. Brevi postea incœpit, præcipue matutino tempore, carbonibus contritis humectatis similia expectorare, eademque toto autumno & hyeme continuavit ejicere: sequenti vere tussis mitior & rarior evasit: omni tamen

mane exacerbata mucosum, quid expellens.

Mansit autem anxietas, & ab eo tempore neque in dorsum, neque in latus sinistrum decumbere quievit, atque quoties in dorsum decumbere tentabat, & præ anxietate subito se in latus sinistrum vertebat, pondus ex latere dextro in sinistrum subito labebatur, strepitum aquæ fluctuantis edens, & ob imminentem suffocationem statim corpus erigere cogebatur æger.

Durantibus his angustiis solitos labores obivit, functionibus naturalibus sat bene procedentibus: redeunte autem autumno, tussis denuo valde aucta est, & sputa nigra iterum fuerunt, pauciora tamen, quam anno præcedente, continuantia usque ad tempus vernum, quo tussis manente anxietate & iisdem decubitus impedimentis denuo mitigata est: & æger vere & æstate eodem modo se habuit ac anno elapso.

Ineunte autem autumno anni 1765. tussis denuo frequentior & validior fuit, & sub finem Octobris vehementissima & sicca erat, anxietate ita aucta, ut ob metum suffocationis vena ipsi secta fuerit.

Mansit post venæ sectionem æque

anxius; decubitus in latus dextrum eo usque ſat liber, difficilior factus eſt, ut pluries tentare deberet, antequam manere poſſet jacens.

Vigeſima tertia Novembris ad nos delatus eſt, cum jam per tres dies nocteſque continuo ſedens, antrorſum incurvatus, difficile admodum ſpiritum trahens manere debuiſſet; tuſſis præ anxietate & debilitate fere ſuppreſſa erat; appetitum nullum habebat; alvus erat laxa; pulſus debilis, ſæpius intermittens; habitus corporis adhucdum ſat toroſus; ſub utraque axilla glandulas multas tumidas, duras & dolentes per modum roſarii ſibi connexas gerebat, quas tantum ante octiduum animadverterat æger.

Primis diebus quibus apud nos fuit, medicamenta pectoralia ſumpſit oxymelle ſquillitico acuata, eo effectu ut noctu ultra tres horas jacere & dormire potuerit: tertia autem nocte peſſime habuit, & ſumme anxius continuo ſedere coactus eſt.

Hydropem pectoris ex anamneſi & præſentibus ſignis adeſſe concludentes oxymell. colchici unc. ij. per diem ſumendas illi dedimus, qua doſi jam prima die copiam urinæ circiter tres men-

ſuras æquantem, ſitis expers, & præter juſcula nihil liquidi ſumens, cum magno levamine, miſit.

Conſtans manſit magna illa urinæ evacuatio, omniaque de die in diem ita in melius mutata ſunt, ut quindecim dierum ſpatio facillima fuerit reſpiratio, liberrimuſque in dorſum & utrumque latus decubitus; pulſus fortior, æqualis ægro noctu bene dormiente, per diem plures horas extra lectum tranſigente: vigebat appetitus: tumores glandularum ſubaxillarium penitus reſoluti erant.

Licet æger vires ſat bonas haberet, & toroſo ſatis corporis habitu gauderet; ne forte aliquid reſidui in pectoris cavitate fieret, continuavit uſque ad finem Decembris eadem oxymellis colchici doſi uti, quo tempore ab omni medicamento abſtinuit, & incœpit ſanorum cibis magno cum appetitu veſci.

Initio Januarii in diarrhæam ſat frequentem incidit, quæ tamen ſponte intra quatuor dies ſedata eſt, homine quo ad omnes functiones bene habente. Accedebat tamen omni mane tuſſis lenis medium horæ quadrantem durans, & paucis ſputis ſpumoſis rejectis perfecte ceſſans.

Usus est dein per 18. dies conserv. N. 3. & sub finem Januarii 1766. sanus & robustus dimissus est.

CASUS DUODECIMUS.

VIR 38. annorum, qui jam per quinque hebdomadas febri tertiana laboraverat, & in tertiam septimanam aqua intercute valde tumentem totum corporis habitum habebat, decima septima Novembris anni 1765. in nostrum nosocomium susceptus est.

Non minus extra paroxysmum, quam tempore paroxysmi, siti valida afficiebatur: alvus cocta quotidie vel saltem omni altero die sponte ab initio morbi secedebat: urinæ excretio parca erat: febrilis paroxysmus cum paucissimo sudore terminabatur.

Datis rob. sambuc. ebuli cum oxymelle squillitico & sale polychresto & febri & hydropi prospicere conati fuimus, post binos autem febris paroxysmos in nosocomio perpessos æger multum debilitatus est, & anasarca in majorem molem increvit, nec auctæ sunt excretiones.

Dedimus illi mixtur. N. 4. qua bis

absumpta paroxysmus febrilis penitus emansit, manente hydrope & siti frequenti.

Vigesima quinta Novembris incœpit uti vino diuretico, perrexitque in illius usu usque ad initium Decembris: cum vero tumor idem permaneret, & sitis mitigata esset, dedimus illi vinum N. 5. quo Magnificus Archiater *Antonius Storck*, & ego post illum sæpius pulchras curas fecimus: inde autem in hoc ægro aucta est sitis, nec minutus est hydrops.

Duodecima Decembris omnibus aliis sepositis medicamentis oxymell. colchici unc. ij. omni die absumendæ ipsi præscriptæ sunt: ab hoc medicamento statim prima die major urinæ copia excreta est, & sequenti die præter urinarum evacuationem copiosam variis vicibus toto corpore magno cum levamine leniter sudavit; alacrior factus est: cibos suos, qui antea insipidi ipsi videbantur, bono cum appetitu comedit.

Aquarum evacuatio, tam diaphoresi, quam diuresi, ita feliciter continuavit, ut intra quatuordecim dies ab anasarca perfecte liberatus fuerit. Usus est dein conserv. N. 3. qua pluries repetita, cum omnes functiones corporis liberæ essent, & vires bonæ, sanorumque diæta

ſine incommodo uteretur, quarta Januarii ex noſocomio exivit.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

VIR ſexageſimum quintum ætatis annum agens, a pluribus annis victum mendicando quæritans, per ſeptem hebdomadas febri quartana, quam neglexerat, vexatus, ſub qua hydropicus evaſerat; duodecima Decembris anni 1765. ad nos delatus eſt quartana adhuc laborans, cum abdomine aquis turgentiſſimo, toto corpore aqua intercute diſtento, ac ita debilis, ut brevi animam efflaturus videretur.

Bonis alimentis & medicamento cardiaco, quantum fieri potuit, ægrum refecimus, & dedimus illi oxymellis colchici unc. ij. ut diei ſpatio abſumeret: perrexitque omni die eandem doſin ſumere.

Urinæ excretio ſtatim valde aucta eſt, & imperturbata manſit, alvo, antea admodum tarda, omni die exonerata.

Decima octava Decembris nulla amplius fluctuatio in abdomine percipi poterat; videbatur aſcites diſparuiſſe,

corporisque habitus ubique mollis, minus tumens; paroxysmus febrilis erat mitis: eadem medicamenti dosi perrexit uti.

Vigesima quarta Decembris ob febrim adhucdum continuantem debilem ægrum invadere, data est illi, præter solitam oxymellis dosin, mixtur. N. 4. qua bis repetita omnis paroxysmus febrilis disparuit.

Sublata febri incœpit æger appetere: præter congruos cibos, data est illi omni die semi-libra vini austriaci albi & continuavit oxymell. sumere.

Initio Januarii cum totum corpus, exceptis pedibus & inferiori crurum parte adhucdum levi œdemate elatis, collapsum esset, & ab aquis liberatum, incœpit conserv. N. 3. uti: aucta est ciborum copia & carnes teneriores ipsi concessæ sunt. Sub finem Januarii sanus ex nosocomio dimissus est.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

Homo triginta quinque annos natus, per sex septimanas in Hungaria degens febri tertiana laboraverat, sub qua magna in hypochondrio sinistro indu-

ratio orta fuerat : quinta febris hebdomada abdomen in magnam molem increvit, & æger sanitatis recuperandæ desiderio impulsus, iter Viennam suscepit : quo magno cum labore 14 Octobris appulsus, bis febrilis paroxysmus emansit.

Successit dein tertianæ febri quotidiana vehemens, & in quoddam hujus civitatis nosocomium susceptus, absumptis variis medicamentis a febri liberatus est, manente abdominis mole & totius corporis tumore.

Sublata febri data sunt illi varia medicamenta aquarum evacuationi dicata : his usus est ultra tres hebdomadas nullo alio effectu secuto, nisi quod corporis habitus paulisper detumuerit, abdomine manente admodum tumido. In hoc statu medicus illum ex suo nosocomio 24 Novembris dimisit & 26. ejusdem mensis ad nos delatus est.

Abdomen aquis admodum distensum erat : hypochondrium sinistrum dolens & pressioni minime cedens : artus inferiores tumidissimi erant, & reliquum corpus levis anasarca occupabat ; valde debilis erat ; tussi inani vexabatur ; sitis erat pauca ; appetitus nullus ; alvus laxa : & urinæ excretio paucissima.

Statim incœpit oxymell. colchic. ij. quotidie ſumere : prima die copioſas urinas, modo fuſcas, cum enæoremate craſſo, nigreſcente, modo flavas, modo aquoſas miſit : ſequentibus autem diebus copioſior adhuc fuit excretio & coloris magis naturalis.

Trigeſima Novembris totus corporis habitus, exceptis artubus inferioribus adhuc parum tumidis, integre collapſus erat ; aſcites multum minutus ; & hypochondrii ſiniſtri dolor & tenſio minor ; manifeſteque tangendo, corpus durum, pugni virilis craſſitie percipiebatur.

Cum alvus jam a quatuor diebus clauſa eſſet, hauſt. N. 6. purgatus eſt ; dein continuavit priori oxymell. colchici doſi uti.

Undecima Decembris aſcites diſparuerat ; artus inferiores penitus detumuerant ; jam ab aliquot diebus aberat tuſſis ; omnes functiones bonæ erant ; nec ulla amplius durities in hypochondrio ſiniſtro percipi poterat.

Loco oxymell. colchici uſus eſt conſerv. N. 3. & carnes quibus huc uſque caruerat, ipſi conceſſæ ſunt, cito vires recuperavit, & dicta conſerva quater abſumpta, optime valens ex noſocomio diſceſſit.

CASUS

CASUS DECIMUS QUINTUS.

VIRGO 55. annos nata, ante 13. annos respiratione difficili, anhelosa laborare incœperat, & eodem adhuc anno febri tertiana correpta fuerat, cujus multos paroxysmos perpessa est.

Assumptis variis medicamentis a febre fuit liberata. Remansit autem in epigastrio dolor continuus ab ingestis auctus, a quo postea nunquam immunis fuit ægra, ab illo tempore sæpius assumptos cibos prægressa magna anxietate vomitu reddere coacta est; respiratio mansit læsa, & accessit tussicula, matutino præcipue tempore invadens, ut plurimum sicca.

Anxietas tempore febris minime minuta, successu temporis, ita increvit, ut ante septennium famulatum desere coacta fuerit.

Anxietati & dolori epigastrium occupanti juncta est molesta hypochondrii sinistri tensio ad attactum paulo rudiorem dolentis, & per intervalla cordis palpitatio.

Sumpsit varia medicamenta, a quibus nullum levamen habuit, & ante

quatuor annos, partim ob nimiam anxietatem, partim ob auctum lateris sinistri dolorem, decubitum in latus sinistrum non amplius ferre potuit.

Cum his malis miseram vitam ultra tres annos duxit, donec adulto anno 1765. omnia incœperint in deterius verti, vigesima secunda Decembris ejusdem anni, cum jam per plures hebdomadas jacere debuisset, tantum leves & paucos cibos assumere potens, ad nos delata est.

Respiratio admodum brevis, celeris & anxia erat; subinde inani tussicula vexabatur; crura femoraque aquis valde distenta erant, facies œdematosa, livescens, magno ascite abdomen occupabatur; appetitus erat parcus, sitis non magna; alvus, ut aiebat, more solito omni biduo vel triduo exonerabatur, & non nisi laborioso conatu paucissima subinde urina excernebatur. Debilissima ægra somnis brevibus per intervalla accedentibus minime refecta, evigilans videbatur suffocanda; epigastrium, hypocondrium sinistrum tensa ab attactu valde dolebant.

Incœpit oxymell. colchici unc. ij. per diem sumere, quo effectum est, ut primis duobus diebus magnam sputo-

rum glutinosorum copiam ejecerit, & urina copiosa multo facilius solito magno cum respirationis levamine excreta fuerit.

Tussis dein penitus cessavit; & tam magna perrexit esse diuresis, ut jam initio Januarii ab omni hydrope libera fuerit, & continuato usque ad medium Januarium oxymellis colchici usu, omnis tensio disparuerit: cessavit anxietas, & decubitus in utrumque latus facillimus redditus est.

Toto mense Januario colchico usa est, & absumpta dein aliquoties conserva N. 3. sub finem Februarii sana dimissa est.

Casus Decimus sextus.

VIR 44. annos natus, decima quarta Decembris anni 1765. ad nos delatus est. Mense Februario & Martio febre intermittente laboraverat, sub paroxysmis magnas anxietates patiens: fugata febri remansit aliqualis anxietas, quæ brevi ita aucta est, ut ad lenem etiam motum fere suffocaretur, somnos admodum breves capere poterat, & dum decumbens per mediam horam dormiverat,

N 2

evigilabat summe anxius, & continuo situm mutare cogebatur.

Dum illum prima vice vidi, præter memorata symptomata, abdomen admodum tumidum aquis impletum erat; urina a multis hebdomadis paucissima excernebatur, & alvus erat tarda; appetitus sat bonus; sitis nulla; pulsus inæqualis, subinde intermittens.

Præmisso purgante dedimus illi oxymell. colchici unc. ij. quotidie absumendas, copiosissima statim prima die incœpit urinæ excretio fieri, quæ constans permansit, alvo saltem omni alterno die cocta, molli, exonerata.

Pectus sensim levatum est & abdominis moles minuta, evanuitque pulsus inæqualitas & intermissio.

Octava Januarii cum abdomen fere integre ab aquis liberum, subinde aere distenderetur, & tympanitidem præseferret, mixturam ipsi dedimus ex aqua rorismarini, liquore anodino minerali & solita oxymell. colchici dosi.

Hac mixtura usus est æger cum euphoria. Disparuit abdominis distensio flatulenta, & excretiones eodem modo perrexerunt ac ante.

Decima septima Januarii ægrum examinantes abdomen invenimus integre

collapſum, molle, nec ullum amplius inhærentis aquæ indicium ſupererat; ſomnus, qui etiam tempore curæ paucus & turbulentus fuerat, jam a binis diebus pacatiſſimus & reficiens erat; optimo appetitu fruebatur, & excepta diureſi, quæ pergebat valde copioſa eſſe, omnes functiones naturales erant & vires bonæ.

Continuavit tamen adhuc per octiduum eadem mixtura uti, & paucis poſt diebus cum jam ſolidioribus cibis ſine incommodo veſceretur, ſanus & robuſtus dimiſſus eſt.

Casus Decimus septimus.

PUELLA 23. annorum Auguſto menſe anni 1765. febri correpta eſt, quæ per aliquot paroxyſmos quartanæ typum ſervavit, mutata dein in tertianam. A menſe Aprili catamenia non prodierant, licet varia emmenagoga a medico præſcripta ſumpſerit, febris quoque nullis medicamentis fugari potuit; & initio Octobris toto corpore tumere incœpit.

Poſt hæc frequenter rheo purgata fuit, & mutata febris tertiam in quotidianam, corporis tumore non colla-

bente, & ſimul ſicca validaque tuſſi correpta eſt.

Variis uſa eſt medicamentis, tum pectoralibus, tum antifebrilibus diu abſque effectu, donec tandem declinante Decembri febris emanſerit, manente tuſſi, corpore admodum tumente & reſpiratione valde anxia.

Vigeſima octava Januarii ad noſtrum noſocomium delata eſt, totum corpus hydrope anaſarca ingentem in modum diſtenſum erat, & abdomen aſcites magnus occupabat; vehementiſſima, per vices accedente, inani tuſſi afficiebatur, valde anxia erat & pulſus præ tumoris mole non percipiebatur; alvus tarda erat, urina jam a multis diebus, guttatim tantum, & pauciſſima excernebatur, appetitus erat nullus, ſitis quoque pauca, decubitus admodum difficilis, & ſomnus vix ullus.

Præmiſſo purgante hydragogo datæ ſunt illi omni die oxymell. colchici unc. ij. quæ binis primis diebus parum effecerunt; tertio autem die urinæ fuſcæ cum copioſiſſimo enæoremate craſſo, nigreſcente, copia fere menſuram æquans, magno cum ægræ levamine excreta eſt.

Uſa eſt eadem medicamenti doſi per

duodecim dies, quo tempore urinæ, modo fuscescentes, modo aquosæ, modo etiam coloris naturalis, copiosæ excretæ sunt, & corporis habitus, exceptis cruribus, totus detumuit; appetitus rediit; respiratio liberior reddita est, pulsus autem erat inæqualis, debilis & ascites non videbatur minui, manebatque tussis; ægra tamen melius dormiente & alacrius corpus movente.

Licet priori oxymell. colchisi dosi bene procederet, diuresis, ut copiosor fieret aquarum evacuatio, ejusdem. unc. iij. omni die ipsi dedimus.

Copiosior secuta est urinæ excretio, circiter mensuras tres nychtemeri spatio æquans; sæpius sudore leni, æquabili perfusa est, & tussi, quæ semper sicca fuerat, multa sputa perquam glutinosa ejicere incœpit.

Tussis sensim minuta est & sputorum copia, & tam felix perrexit aquarum evacuatio, ut 24. Februarii de ascite & anasarca nihil superfuerit; absente tussi, pulsu bono, æquali reddito; anxietate penitus sublata & reliquis functionibus optime procedentibus.

Continuavit tamen oxymelle colchico uti usque ad quartam Martii carne vitulina & aliis eupetis cibis vescens, dein

usa est conserv. N. 3. qua ter repetita; cum optime valeret, & corpus bene coloratum sat robustum esset, ad suos redivit.

Casus Decimus octavus.

Femina 46. annos nata, initio Martii in diarrhæam incidit, quæ per 14. dies duravit, hac cessante statim totus corporis habitus intumuit. Variis incassum tentatis quatuor septimanarum spatio, ad nos 19. Aprilis delata est.

Ægra non modo anasarca, sed & ascite admodum magno laborabat; urinam a pluribus diebus tantum guttatim mittebat; alvus erat tarda; appetitus nullus; vires multum collapsæ. Oxymellis colchici unc. ij. per diem ipsi dedimus.

Prima die vespere urinam sine labore ad plures uncias misit, fuscentem, floccis magnis nigrescentibus refertam, similemque noctu pluries excrevit.

Postea aquarum evacuationes copiosissimæ fuerunt, intra decem dierum spatium anasarca & ascites penitus disparuerunt; actionibus naturalibus optime

constitutis ; languidis vero vitalibus & animalibus.

Ægra deinde incœpit uti conserv. N. 3. & debita ciborum facilis digestionis copia ipsi concessa est.

Sub hujus medicamenti usu corporis color cachecticus brevi in sanum mutatus est : vires increverunt, & carnes corpori sensim renatæ sunt.

Decima quinta Maii ægra optime valens, & custodes in laboribus egregie sublevans a medicamentis abstinuit, ac octiduo post sana robustaque ex nosocomio discessit.

Casus Decimus nonus.

STATUARIUS 29. annos natus, 19. Aprilis anni 1766. ad nos delatus est.

Ante biennium artem suam in Hungaria exercens, in febrim quartanam inciderat, qua per annum neglecta ortum est corpus durum, mobile ex hypochondrio sinistro emergens, & mediam abdominis partem occupans, continuante febre.

Febris demum pertæsus æger, & tumore territus auxilium cujusdam viri imploravit, a quo essentiam rubram ac-

cepit, cujus effectus debebat esse purgare & ciere vomitum.

Hujus essentiæ pluries gutt. vj. sumpsit sine effectu; imo febris validior evasit, æger anxius factus est, & abdomine cruribusque admodum intumuit, ac denuo per undecim hebdomadas nihil tentavit.

Postea vero vinum generosum magna copia hausit, & saltu corpus valde exercuit, sperans febrim sic excussam iri; verum mansit febris, & sic increvit anxietas, ut non nisi per intervalla corpus movere potuerit.

Duodecima Novembris anni 1765, Viennam curru advectus & medicamenta horrens cum febri luctatus est usque ad initium Aprilis 1766, quo tempore demum consilium petiit a doctissimo medico *Kohlman*, tunc temporis nosocomii Hispanici Physico & nunc Cæsareo reg. Archiatro, qui, perpensa maxima virium ægri prostratione, metuens ne sub paroxysmo febrili brevi occumberet, aptis medicamentis febrim fugavit, & dein inopem hominem, ob defectum bonæ dietæ, non potentem a gravibus suis malis liberari, ad nostrum nosocomium direxit.

Erat valde debilis, anxius, tussi fre-

quenti, & ſicca dolores ſecundum ultimas coſtas veras in utroque latere & dorſo validi excitabantur. Abdomen magnæ molis erat aquis plenum, & ſupra memoratum corpus durum preſſioni manus difficile cedens facile diſtinguebatur; artus inferiores valde tumebant, urinæ excretio erat pauca, alvus tarda; appetitus vix ullus; ſomni rari, turbulenti; pulſus parvus, ſubinde intermittens.

Datæ illi omni die oxymell. colchici unc. ij. jam ſequenti die diureſis multum aucta eſt, poſt quinque dies ab uſu medicamenti omnia notabiliter in melius mutata erant, anxietas fere diſparuerat; tuſſis erat rara, ſomnus tranquillus, artus inferiores fere integre collapſi & abdominis moles minuta; alvus mollis, ſponte ſecedens, corpus autem ante deſcriptum mole videbatur idem.

Perrexit æger eadem medicamenti doſi uti uſque ad duodecimam Maii, intra quod tempus aſcites penitus diſparuit, & durus lateris ſiniſtri tumor ita minutus eſt, ut tangendo tantum obſcure ſub coſtis ſpuriis aliquid perciperetur; omnibus functionibus in melius mutatis.

Æger poſtea uſus eſt oxymell. col-

chici uncia unica uſque ad vigeſimam Maii, qua, cum omnia mollia eſſent, illius loco conſerv. N. 3. incœpit uti.

Hoc medicamento & cibis aptis ſenſim vires recuperavit; carnes corpori incœperunt renaſci, & ſub finem Junii omni medicamento abſtinuit.

Manſit tamen in noſocomio æger uſque ad finem Julii, cibis ſolidioribus veſcens, & ex noſocomio ſanus & toroſus diſceſſit.

Casus Vigesimus.

Vir 37. annorum, declinante Julio parca & mala diæta per plures menſes uſus, in febrim tertianam incidit, cujus aliquot paroxyſmos perpeſſus quotidiana correptus eſt, accedente hypochondriorum tenſione, intumeſcentia & reſpiratione difficili.

Domi jacuit neglectus uſque ad quartam Auguſti, qua ad nos delatus eſt valde anxius, debilis; totus corporis habitus aqua intercute admodum diſtentus & abdomen tenſiſſimum aquis plenum erat; incœperat hydropicus fieri ſtatim poſt primos febris quotidianæ

paroxyſmos; alvus erat tarda & rara; parcaque urina excernebatur.

Primis quatuor diebus quibus apud nos fuit, remediis ſolventibus ſalinis uſus eſt.

Corporis tumore de die in diem magis increſcente, ac viribus admodum collabentibus, ne ſub febrili paroxyſmo periret æger, præter oxymell. colchici unc. ij. per diem abſumendas, mixtur. N. 4. dedimus, qua bis repetita febris fugata eſt, diureſi ſimul multum aucta.

Sublata febri & continuata eadem oxymellis colchici doſi, tam abundans fuit urinæ excretio, ut intra decem dierum ſpatium ab omni hydrope liber fuerit æger.

Ne tamen aliquid de morbo remaneret, unc. j. oxymell. colchici perrexit uti uſque ad 24. Auguſti & dein ſolummodo unc. ß. ejuſdem medicamenti ſumpſit uſque ad 29. præfati menſis.

Æger tunc variis etiam ſolidioribus cibis ſine incommodo veſcebatur; alacris erat & viribus tam bonis pollebat, ut recuſaverit diutius in noſocomio commorari: quare data ipſi conſerv. N. 3. illum brevi poſt dimiſimus.

Casus vigesimus primus.

Femina 20. & aliquot annorum, vigesima tertia Augusti anno 1766. ascite & anasarca laborans ac valde anxia debilisque ad nos delata est.

Ante binos & medium annos in febrim quotidianam inciderat, quæ neglecta & per sesqui annum protracta demum sponte desierat; post se relictis artuum inferiorum tumore, respiratione difficili, abdomine tenso, duro; appetitu præcipue carnium penitus deleto; artuum superiorum & dorsi recurrentibus sæpius doloribus cum alvo subinde segni, sæpius nimis frequenti: & magna corporis debilitate.

Postea totum corporis habitum hydrops intercus sensim occupavit, abdomen in magnam molem increvit, & ultimis hebdomadis antequam ad nos deferretur, urinæ excretio ita imminuta est, ut demum tantum subinde guttulas aliquot vi exprimeret.

Missis aliis medicamentis solum oxymell. colchicum ipsi præscripsi, cujus unc. ij. omni die absumpsit.

Primis tribus diebus urina quidem

liberius fluxit : verum copia vix libras duas æquavit, & erat fuſca, floccis magnis nigreſcentibus plena : poſtea autem tam copioſa facta eſt diureſis, ut plures noctes præ nimis frequenti urinæ excretione inſomnis tranſegerit.

Octava Septembris anaſarca diſparuerat, & aſcites vix amplius ſenſibilis erat : abdomen autem examinantes invenimus tumorem oblongum, latum, totum hypochondrium ſiniſtrum occupantem : ægra cæteroquin, quæ jam a ſeſqui anno carnes nauſeabat, & nihil appetebat, famem conquerebatur, & teneriores carnes optimo cum appetitu comedit, pergens eadem colchici doſi uti.

Senſim tumor mole ita minutus eſt, ut decima quinta Septembris tantum lienis mediocris figuram & magnitudinem referret, nullo tunc ſuperſtite hydropis indicio.

Vigeſima Septembris avunculus illius eam inviſens, & illam ab hydrope curatam, bene comedentem & alacrem videns, illam domum ſuam ſuſcepit, promittens ſe illi adhuc ad confirmationem curæ neceſſaria medicamenta & reliqua ſubminiſtraturum.

Casus vigesimus secundus.

Femina 53. annorum, initio Junii anni 1766. incœpit artubus inferioribus & abdomine tumere, ac quarta Julii ad nos delata est, valde ascitica, artubus inferioribus tumidissimis, superiori corporis trunco, facie & artubus superioribus siccissimis. Anxietas, tussicula, sitis ægram valde inquietam reddebant: urinæ excretio vix ulla aderat, & alvus pauca raro excernebatur.

Ipsi oxymell. colchici unc. ij. quotidie absumendas, per quatriduum sine ullo effectu dedi; quare varia alia antihydropica usque ad finem Julii ipsi exhibui: verum neque ab his ægra levamen habuit, imo omnia continuo in pejus ruerunt, & videbatur brevi moritura.

Dedi illi oxymell. colchici unc. iij. per diem absumendas: primo die alvum bis deposuit, & urinam pluries ad uncias plures misit, ac sequenti die res eodem modo successit.

Tertia ab usu hujus dosis die, alvus frequens copiosa evasit, & valde pro-

mota eſt urinæ excretio : aſcite multum collabente.

Nihil mutavi per triduum , poſtea autem ne nimius alvi fluxus debilem ægram peſſumdaret, & ut mitigaretur tuſſis ſicca , qua admodum moleſtabatur , ſimul cum dicta oxymellis doſi decoctum N. I. ipſi exhibui , quod votis optime reſpondit , moderato alvi fluxu , tuſſi multum mitigata , & nullo modo minuta urinæ excretione.

Hac methodo medio Auguſti ab hydrope penitus libera fuit , & tantum unc. ß. oxymellis adhuc per aliquot dies abſumere perrexit. Erat tunc alacris , non tuſſiens , libere ſpirans , cibos appetens , a quibus tamen paulo majori copia aſſumptis , licet tenerioribus , gravabatur ventriculus. Tentavimus leniter roborantibus medicamentis vires ventriculo reddere ; verum ab his male habebat , anxietate & præcordiorum dolore poſt quamlibet doſin accedente : quare ab his abſtinuimus & conati fuimus cibis congruis ægram reficere.

Initio Septembris incœpit denuo aquarum in abdomine collectio manifeſtari , quæ dato oxymelle colchico intra paucos dies diſparuit , ægra ſat

alacri, appetente & diem ambulando per cubiculum transigente.

Tentata denuo medicamenta roborantia idem fatum experta sunt ac prima vice: hinc illis penitus supersedere debuimus.

Prima Octobris ægra subito incœpit anxiari, tussire, intumuere artus inferiores & abdomen: accessit urinæ suppressio & appetitus deletus est.

Datis oxymell. colchici unc. ij. quotidie absumendis, urinæ excretio restituta est, & abdomen artusque ab aquis liberata sunt: verum increvit anxietas, pulsus omnino malus evasit & octava Octobris ægra mortua est.

Aperto cadavere inventum est hepar parvum scyrrhosum, vesicula fellea alba, bile vacua, calculum continebat ovum columbinum magnitudine æquans, qui casu in terram prolapsus, distractus est instar vitri, & pulcherrimam variegatam crystallisationem oculis obtulit. Utrumque pectoris cavum & pericardium aqua plena erant.

Licet systema biliosum in hac ægra tam male affectum fuerit, vix ullum icteri signum adfuit: tantum levissima oculorum flavedo primis diebus, quibus

apud nos fuit, conſpecta eſt: in urina autem & alvo nihil icterici conſpeximus.

CASUS VIGESIMUS TERTIUS.

FEMINA 56. annorum, octodecim prolium mater, ſexta Septembris 1766. ad nos delata, initio Junii inciderat in febrim quotidianam, quæ per tres hebdomadas protracta in tertianam mutata eſt, & initio Auguſti ſponte deſiit, qua ceſſante artus inferiores & abdomen incœperunt tumere. Dum illam primo vidimus abdomen erat admodum tenſum, aqua pleniſſimum & tumidiſſima crura vix movere valebat.

Dedimus illi ſtatim oxymell. colchici unc. ij. quotidie ſumendas, nulla autem evacuatio ſenſibilis obſervata eſt.

Tertio tamen ab uſu colchici die ægram examinantes invenimus omnia molliora, multum collapſa, tumoremque quem jam ultra viginti annos in latere ſiniſtro geſſerat, nec antea potueramus percipere, latum, oblongum facile deteximus; hinc continuavimus in uſu colchici.

Hydrops ſenſim magis magiſque evanuit, & 16. Septembris abdomen fere

penitus detumuerat, & artus inferiores, excepto crure dextro, adhuc parumper circa malleolos tumente. Aiebat tunc ægra urinæ excretionem paulo copiosiorem fieri, quam ante; reliquæ autem functiones naturales erant, & appetitus antea deletus, nunc optimus.

Vigesima Septembris nullum amplius hydropis indicium supererat, & tumor durus in latere sinistro abdominis situs, mole multum minutus erat, omnes functiones bonæ erant.

Ægra carnibus incœpit vesci, & continuavit colchico uti, ut duri tumoris moles quantum fieri posset, minueretur; nulla autem ulterior mutatio in illo, licet ad medium Octobris dicto medicamento usa fuerit, facta est, quare ægra robusta & optime valens 28. Octobris ex nosocomio discessit.

CASUS VIGESIMUS QUARTUS.

FEMINA 55. annorum, mortuo sub finem anni 1765. marito, in magnum mœrorem incidit, cui initio anni 1766. juncta est pessima febris quotidiana; cujus frigidus insultus per horam durans, validis totius corporis convulsio-

nibus ſemper ſtipatus erat, permanentibus, donec accederet calor, poſt paucas horas ſudore copioſo finitus: relicta ægra debili, anxia, ſæpius inani tuſſi vexata.

Ceſſaverunt febris & convulſiones circa paſcha: manſit autem tuſſis ſicca, frequens, anxietas, impoſſibilis ſæpe decubitus, hypocondriorum, maxime dextri dolores, epigaſtrii inflatio, dolor poſt paucos cibos aſſumptos. Sic miſeram duxit vitam ægra uſque ad 14. Julii, qua illam curandam ſuſcepi.

Per quinque hebdomadas variis medicamentis ſolventibus uſa eſt, ſine ullo levamine, & declinante Auguſto intumuerunt artus inferiores, & abdomen, ac intra paucas dies, non obſtante copioſo ſudore, ſæpius diu noctuque a multis diebus erumpente, facta eſt valde aſcitica: artus inferiores vultuſque admodum tumidi evaſerunt: ſuperior abdominis pars valde diſtenta ſonum tympaniticum edebat.

Medicamenta ſolventia, diuretica, leniter carminativa interpolatis purgantibus incaſſum aſſumpſit ægra uſque ad nonam Septembris: imo ſub horum uſu in hypocondrio dextro ortus eſt dolor acutus fere intolerabilis, raro

remittens; & tussis anxietasque multum increverunt.

His visis ægræ oxymell. colchici unc. ij. per diem exhibui.

Tussis antea valida, inanis, mitigata est & sputa utcumque cocta ejecit; hypochondrii dolor remisit; urinæ excretione sat copiosa, nychtemeri spatio decies duodeciesque repetita, & alvo naturali quotidie semel bisve desposita, sæpiusque accedente sudore per totum corpus æquali.

Sic sensim aquæ evacuatæ sunt, ut 15. Septembris facies & artus superiores penitus detumuerint; maximæ antea molis artubus inferioribus pariter fere integre collapsis; abdomine multo minus tenso; appetitu restituto & anxietate multum minuta.

Ægra pergens eadem oxymell. colchici dosi uti, eundem continuo effectum experta est, & initio Octobris simul cum hydrope omnia symptomata disparuerant.

Usa est dein conserv. N. 3. usque ad 23. Octobris, qua cum bene valeret ab illa abstinuit: ob sudores tamen copiosos noctu adhuc erumpentes per aliquot dies usa est infuso N. 7. sudoribus mitigatis, omni medicamento abstinuit,

ſana enim & robuſta erat, & omnigenos cibos ſine incommodo digerebat.

Casus vigesimus quintus.

Vir 53. annorum, 25. Julii febri quotidiana prehenſus, illam quotidie etiam tempore paroxyſmi validis in libero aere laboribus incumbendo, domare conatus eſt: ac ſtatim poſt binos primos paroxyſmos toto corpore tumere cœpit: non tamen a ſuo propoſito deſtitit: laboravit donec monſtroſam corporis molem non amplius movere potuerit: & biduo poſt, quinta nempe Auguſti ad nos delatus eſt.

Inter omnes, quos vidi, aqua intercute laborantes, hic longe tumidiſſimus erat: ingens abdominis ab aquis contentis diſtenti moles valde protuberabat, & ſcrotum in ſaccum magnum lucentem aquis fluctuantibus plenum, valde tenſum intumuerat: æger immobilis jacebat, pauciſſimam urinam mittens; alvus jam a biduo clauſa erat, & febrilis paroxyſmus continuabat quotidie poſt prandium invadere, ſine ſudore ſequenti mane deſinens.

Per undecim dies dedimus ei medica-

menta ad obstructiones solvendas, diuresim & diaphoresim movendam, febrimque eliminandam apta, quibus quidem febris fugata est, alvusque omni die bis terve liquida mota: verum in aliis excretionibus nullam mutationem observavimus, nec tumidi corporis moles ullo modo minuta est.

Licet post optima medicamenta incassum adhibita levem curationis spem foveremus, ipsi oxymell. colchici unc. ij. quotidie absumendas dedimus, quibus urinæ variæ, pallidæ, flavescentes sine enæoremate, subinde fuscescentes cum enæoremate copioso, flocculento, fusco quotidie ad quatuor libras & ultra motæ sunt, succedente simul pluries alvo pauca, liquida; unde usu medicamenti per octo dies continuato, corporis habitus paulisper mollitus est, manente eadem mole.

Absumpsit dein omni die oxymell. unc. iij. sequente majori urinæ excretione & alvina fluidorum exoneratione copiosa; verum inde non detumescebat æger, & vires valde collabebantur.

Quarta Septembris continuata eadem oxymell. colchici dosi decoctum N. 1. ipsi exhibuimus, ac fomentum discutiens simul scroto applicuimus.

Hac

Hac methodo alvus naturalis fere evasit, ac tantum bis, raro ter nychtemeri spatio secessit, urina septies octiesve ad libram & últra excreta est; omni nocte copiosissime sudavit.

Sic sensim collapsus est corporis habitus: ascites minutus est, & decima Septembris hydrops scroti disparuerat renascente appetitu, unde abjectus ægri animus multum erigebatur.

Decima quinta Septembris superior corporis truncus & artus superiores caputque omnino detumuerant; artuum inferiorum tumor admodum mollis, pastaceus erat, & ascites fere integre disparuerat; pergebat fieri magna urinæ excretio, & sudores minus copiosi evadebant.

Continuavit æger eadem priorum medicamentorum dosi uti, & admodum appetenti carnes vitulinas aliaque facilis digestionis alimenta majori copia cum aliquot vini austriaci unciis ipsi quotidie concessimus.

Vigesima Septembris omissum est decoctum N. 1. & eædem oxymell. colchidosi tinct. mart. pomat. gtt. l. admixtæ sunt; totum corpus tunc detumuerat, exceptis cruribus, quæ licet mollissima, adhuc multum tumebant.

Finito Septembri conserv. N. 3. incœpit uti, & in illius usu continuavit usque ad 28. Octobris, qua demum ab omni medicamento abstinuit, optime valens, robustus, ac omnibus corporis functionibus naturaliter procedentibus, octava Novembris ex nosocomio dimissus est.

Casus vigesimus sextus.

Femina 64. annorum, per binos menses febrim tertianam perpessa ab illa per quindecim dies libera fuit, & recidivam denuo passa jam primis paroxysmis incœpit toto corpore intumescere ac brevi ingens evasit corporis moles, febri post quinque vel sex paroxysmos sponte denuo desiniente: vigesima die post recidivam ad nostrum nosocomium delata est.

Totum corporis habitum aqua intercus multum distendebat, & in abdominis aquis plenissimi sinistra parte corpus durum, oblongum percipiebatur; ægra valde anxia diu noctuque in lecto erecta sedere cogebatur; alvus tarda erat, & magno cum labore subinde paucas urinæ guttulas exprimebat.

Dedimus illi oxymell. colchici unc. ij. quotidie per triduum ſine levamine, quare datæ ſunt illi unc. iij. pro diurna doſi: inde urina magna quantitate incœpit excerni, corporis habitus ſenſim mollitus & collapſus eſt, & abdominis moles minuta.

Decima quarta Auguſti, ſive undecima a ſuo in noſocomium ingreſſu die, facile decumbebat, licet adhuc ſubinde a ſomno ſubito excitaretur.

Continuavit adhuc per 18. dies eadem medicamenti doſi uti, dein cum omnis hydrops & reliqua ſymptomata diſparuiſſent, illius loco uſa eſt, conſerv. N. 3. per duodecim dies, aptis poſtea alimentis veſcens, carnes & vires recuperavit, & prima Octobris ex noſocomio ſana dimiſſa eſt.

CASUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

FEMINA 40. annorum, febri tertiana per tres hebdomadas & ultra laboraverat, qua ſponte ceſſante & emanentibus menſtruis, alias debite ſemper fluentibus, prima Auguſti totus corporis habitus ſubito intumuit, & abdominis cavum incœpit aquis impleri,

accessit magnus oris amator, nausea anxietas & ingens membrorum lassitudo.

Usa est per quindecim dies variis medicamentis solventibus, stomachicis, urinæ alvoque movendæ aptis, sub horum autem usu omnia in pejus ruerunt, multum auctis ascite & anasarca.

Dedi illi decima quinta Augusti oxymell. colchici unc. ij. per diem: secuta est statim magna urinæ excretio, & dejectiones liquidæ per alvum pluries per diem accesserunt, uterque hydrops sensim minutus est; brevi disparuit anasarca & ultima Augusti nulla amplius fluctuatio in abdomine percipiebatur.

Octava Septembris ab omni medicamento abstinuit, ac decima tertia Septembris ad suos redivit, promittens se iis, quæ ad confirmationem curæ requiruntur domi usuram.

Casus vigesimus octavus.

Puella 12 annorum, sub finem Augusti in febrim quotidianam post potum aquæ stagnantis, impuræ, inciderat, qua adhuc laborans sexta Septembris ad nos delata est.

Valde aſcitica erat, & ſimul anaſarca jam poſtprimum febris paroxyſmum incœpto totus corporis habitus occupabatur; anxie ſpirabat; tuſſi frequenti, ſicca, vexabatur, neque appetens cibos neque multum ſitiens; urinæ excretio pauca erat, & alvus raro exonerabatur.

Dedimus illi oxymell. colchici unc. j. per diem aſſumendam, quam doſi per octo dies continuata ceſſavit febris; anaſarca diſparuit, & minutus eſt aſcites, urinæ excretione copioſa, motaque ſæpius alvo: immutata autem manebat tuſſis & anxietas.

Ut curam acceleraremus, dedimus ipſi oxymell. colchici unc j. ß. per diem qua doſi per quatuor dies urina ſolito majori copia excreta eſt, verum decima octava Septembris ſubito minuta eſt urinæ excretio: in pectoris latere ſiniſtro dolorem & ardorem conquerebatur: lenis febris aderat, & excretio alvina antea liquida, ſat frequens, jam ab heſterno die emanebat.

Cataplaſmatibus loco dolenti applicatis, enematibus emollientibus & dato decocto N. 1. cum nitro, continuataque ſolita oxymell. doſi intra biduum omnia ad priſtinum ſtatum reducta ſunt; con-

tinuavit ægra usque ad finem Septembris oxymelle colchico uti; postea autem cum omnis hydrops disparuisset, datum est illi ℞. conserv. cochlear unc. ß. oxymell. colchici unc. j. limat. mart. o. rubigin. gr. v.

M. intra biduum absumat; hæc quater repetita sunt, ac demum omni medicamento abstinuit. Initio Novembris sana robustaque dimissa est.

Casus vigesimus nonus.

Femina 73. annorum, initio Augusti anni 1767. a multis annis anxietate, difficili respiratione, tussicula & impossibili in latera decubitu affecta, frequenter noctu ab imminente suffocatione subito expergefacta, ad nos delata est valde exsucca.

Jam per tres hebdomadas antequam ad nos deferretur, diu noctuque erecta sedere coacta fuerat; urinæ excretio paucissima erat, anxietas summa; facies tumida, livida, hypochondria elata, tensa; artus inferiores aqua intercute tumidissimi, alvus tarda.

Datæ sunt illi oxymellis colchici unc.

ij. quotidie quatuor dosibus absumendæ superpoto vasculo insusi pectoralis.

Primo die nullam mutationem observavimus, secunda die autem ter urinam sat copiosam misit, obscuri coloris cum enæoremate flocculis densis, fuscis constante, fundum petente; & alvus sponte secessit.

Postea diuresis valde copiosa fuit, alvus quotidie semel bisve secessit; sensim levatum est pectus; respiratio facta est liberior & cessavit tussis.

Vigesima Augusti incidit in diarrhæam, dejectiones erant frequentes, aquosæ, multo glutine tenaci, varie colorato mixtæ.

Vigesima quarta Augusti continuabat diarrhæa valde frequens, & accedebant tormina, conciderant ambo hypochondria & mollia erant; artus inferiores & facies penitus detumuerant; respiratio erat libera, & sat diu in omnem partem decumbere poterat; tussis autem denuo ægram incipiebat invadere.

Omissum est oxymell. colchicum & datum decoctum N. 1. quo solo usque ad vigesimam octavam Augusti usa est ægra.

Sic sedata tussi & alvi dejectionibus sufficienter minutis, diuresi continuan-

te, appetitus renatus est, & sensim res ægræ ad optimum statum vergebant: continuavit tamen præfato decocto uti & oxymell. colchici unc. j. iterum quotidie sumpsit.

Quarta Septembris vetulam examinantes nullum amplius præteritorum malorum vestigium invenimus; nulla amplius anxietas; tussis nulla, respiratio liberrima, decubitus in omnem partem facilis; somnus bonus, appetitus bonus; hypochondria libera, alvus naturalis; urinæ excretio minor quam ante; ut vires augerentur, cibi eupeti & paucum vinum ipsi data sunt.

Continuavit usque ad decimam tertiam Septembris oxymell. colchici unc. j. sumere, postea medicamento abstinuit, & optime valens sub finem mensis hujus ex nosocomio discessit.

Casus trigesimus.

Puella 43. annos nata, 18. ætatis anno menstruare cœpit; famulatu vitam a teneris sustentavit, & vix unquam ægrotavit, donec absque nota causa ante quinque vel sex annos menstrua emanserint, neque primis hujus muta-

tionis temporibus male habuit ; ideo suppressionem mensium floccifaciens ad illos revocandos nihil adhibuit.

Ante tres annos incœpit torpida fieri ; membra lassa, pigriora & ad labores minus apta experiri , per intervalla valde anxia esse , minus appetere & excretiones urinæ alvique tam copia, quam tempore valde irregulares incœperunt fieri.

Variis adhibitis medicamentis conata est sibi levamen adferre ; verum omnia incassum adhibuit ; initio anni 1768. incœpit intumescere , tussi inani vexari , alvi excretio rara & diuresis valde parca fieri.

Decima sexta Julii anni 1768. ad nos delata , ascite magno & totius corporis ingenti anasarca laborabat. Jam a quinque septimanis decubitus erat impossibilis ; sessio difficilis , somnus nullus ; frequens tussiendi conatus a doloribus hypochondriorum inanis redditus ; color tumidæ faciei & manuum lividus , extremitates frigidæ , urina tantum guttatim jam ab octiduo excernebatur : alvus a triduo nulla , anxietas tanta , ut mors instare videretur.

Datæ sunt illi salis polychresti dr: ij. & desuper haust. N. 6. cochleatim

O 5

trihorii ſpatio abſumpſit; unde decies purgata eſt. Diureſis tamen inde nullo modo fuit promota, neque quoad reliqua peſſima ſympromata levari viſa eſt ægra, quam gratis cardiacis refocillavimus.

Decima ſeptima incœpit oxymellis colchici unc. ij. per diem ſumere.

Decima octava ſputa fœtida, cœnoſa, ſat copioſa expectoravit, & tuſſis fuit minus dolorifica, urinæ excretio vix ulla, & reliqua ſymptomata, ut ante.

Decima nona oxymell. colchici unc. iij. ipſi per diem abſumendæ datæ ſunt.

Veſpere ſputa copioſa, glutinoſa, fuſca, cœrulea, viridia, magna copia ejecerat; alvum copioſam, mollem multo muco mixtam depoſuerat; quinque libras urinæ fuſceſcentis cum multo enæoremate ejuſdem coloris miſerat; reſpiratio facilior erat, anxietas minor, mens ſpe futuræ curationis erecta, alacris; cibos cum appetitu ſumit.

Continuato ejuſdem doſis oxymellis colchici uſu quotidiano per 24. dies, nullo alio adhibito medicamento, ſputis glutinoſis, & urina ſæpe ad 14. libras nychtemeri ſpatio excreta, integre curata fuit ægra, ita ut aſcites & anaſarca perfecte diſparuerint; tuſſis emanſerit,

respiratio & decubitus liberrimus fuerit, hypochondria mollia, minime dolentia, & omnes functiones naturales evaserint.

Ad corpus roborandum & curæ confirmationem datæ sunt illi conserv. nasturt. aquat. & oxymell. colchici aa. unc. j. per diem cum limat. mart. gr. viij. quibus per 20. dies usa sanissima ex nosocomio dimissa est.

Casus trigesimus primus.

Vir 68. annos natus, vino a juventute valde deditus, cæterum fere semper sanus decima quinta Maii ad nostrum nosocomium delatus est anno 1768.

Declinante anno 1767. tensionibus hypochondriorum, epigastrii, tarditate alvi, accedente subinde anxietate & difficili respirio, somno perturbato, lassitudine spontanea, inappetentia, magna siti laboravit. Mense Decembris urina solito paucior excerni, & æger toto corpore intumescere cœpit.

Multa & varia tentavit medicamenta; donec rebus suis fere exhaustis se ad nostrum nosocomium deferri curaverit.

Ascite in magnam molem distende-

batur abdomen: hypochondrium dextrum ſiniſtro multo altius, magis tenſum; totus corporis habitus aqua intercute valde tumidus, coloris viridis; alvus fere quotidie ſponte ſecedebat; urina tantum guttatim excernebatur; appetitus nullus, ſitis multa, ſomnus paucus, debilitas magna.

Per 10. dies quibus oxymell. colchici unc. ij. quotidie ſumpſit, uterque hydrops immutatus permanſit, licet alvi & urinæ excretiones aliquantulum auctæ fuerint.

Vigeſima quinta Maii incœpit oxymell. colchici unc. iij. per diem abſumere, unde urina jam primo die maxima quantitate incœpit excerni, & quatuor ſeptimanarum ſpatio omni hydrops diſparuit, ſitis ceſſavit, appetitus ſat bonus evaſit, excretio alvi naturalis manſit, & ſomno pacato omni nocte refectus eſt æger.

Evacuatis aquis hepatis lobi ſiniſtri tumor & durities manifeſta ſupererat: ægrum tamen rogantem, ut liceret ipſi parum a medicamentis quieſcere, per aliquot dies abſque medicamento reliquimus, cibos eupetos & paucum vinum ipſi concedentes.

Vix per ſeptimanam a medicamentis

quievit: & factus est tympaniticus, & paucis diebus postea aquæ denuo in abdomine incœperunt colligi.

Præter priorem colchici dosin scopo sol ventre & diuretico ipsi iterum exhibitam dedimus mixtur. N. 8.

Medicamenta optimum effectum statim fecerunt, statuum & urinæ excretionem egregie promoverunt, ut 14. dierum spatio abdominis moles collapsa & mollis fuerit, minutaque hypochondrii dextri durities.

Ut adhucdum manifestus lobi sinistri hepatis infarctus, & latentes forte adhuc aliorum viscerum profundiores obstructiones radicitus tollerentur, continuavit quotidie oxymell. colchici uncias ij. absumere, & præterea decoct. gramin. taraxac. ipsi datum est.

Hisce usus est de die in diem melius habens usque ad medium Augusti, quo tempore hypochondrium dextrum penitus liberum & nullum alius visceris affecti signum inveniri poterat.

Postea usus est conserv. N. 3. usque ad ultimam Augusti, qua sanus & robustus ex nosocomio dimissus est.

Casus triges. secundus.

Femina 56. annos nata, cui catamenia ante octo vel novem annos emanserant, absque nota causa initio Maii anni 1768. pustulæ subrubræ valde dolentes per totum corpus eruperunt, quibus medelam facturus advocatus Balneator venam secuerat, & magnam sanguinis copiam eduxerat: disparuere pustulæ eodem die, & femina pedibus intumescere cœpit.

Usa est variis medicamentis, sed omnia absque effectu fuerunt: sensim cavitas abdominis aquis impleta est, & ita intumuit totus corporis habitus, ut se loco movere non amplius potuerit ægra.

21. Junii ad nostrum nosocomium delata est valde debilis; alvus more illi solito secedebat; urina ab initio morbi pauca & cum difficultate & dolore urente excernebatur; noctes inquietæ erant; appetitus paucus.

Datum est illi decoct. N. 1. & oxymell. colchici unc. ij. quotidie absumendæ.

Jam prima die multum aucta est

urinæ excretio, cessavit dolor urens, & postea aquæ tanta copia per diuresin evacuatæ sunt, ut septima Julii ab omni hydrope libera esset: appetitus autem adhuc languebat: ægra manebat debilis: somnus erat bonus.

Dedi ægræ quotidie conserv. cochlear. & oxymell. colchici aa. unc. j. cum rad. helen. dr. j. & sic usque ad decimam quintam Julii continuavit, donec appetitus optimus fuerit, & vires ita increverint, ut potuerit sola deambulare per cubiculum. Post hæc sumpsit ægra quotidie oxymell. colchici, conserv. cochlear. aa. dr. vj. limat. mart. o. rubig. gr. x. usque ad vigesimam quartam Julii, qua sana ex nosocomio exivit.

Casus triges. tertius.

Puella 23. annorum, vigesimo ætatis anno menstruare cœperat: evacuatio autem menstrua semper fuit pauca, pallida, irregularis, & ab eo tempore ægra vitam languidam duxit. Sub finem Junii anni 1768. subito abdomine intumescere cœpit; tumor brevi in magnam molem increvit, & decima Julii ad nos ascitica delata est.

Dedimus illi statim oxymell. colchici unc. ij. per diem, & jam prima curæ die urina, antea paucissima, tanta copia incœpit excerni, ut quinque dierum spatio penitus ab hydrope libera fuerit.

Abdomen panno fumo aromatico impraegnato tectum, fasciis circumductis firmatum est. Sumpsit adhuc per quatuor dies oxymell. colchici unc. j. dein quotidie oxymell. colchici, conserv. cochlear. aa. unc. j. cum limatur. mart. o. rubigin. gr. x. ipsi dedimus usque ad vigesimam sextam Julii, qua optime valens voluit ad labores redire, nec potuit diutius in nosocomio retineri.

Casus triges. quartus.

Operarius 34. annos natus, jam a semi-anno corporis gravitate, lassitudine, inappetentia, in somnum proclivitate magna affectus, initio Julii anno 1768. decumbere debuit, & incœpit intumescere, auctis continuo prioribus symptomatibus.

Dum 24. Julii ad nos delatus est, totum corpus valde tumidum anasarca occupabat; abdomen ascites valde distendebat; magna debilitas, summa

anxietas omnium functionum, ingens læsio metum instantis mortis incutiebant.

Ilico datæ sunt illi oxymell. colchici unc. ij. per diem, quæ jam prima die diuresin ita promoverunt, ut ultra tres mensuras urinæ varii coloris miserit, cum magno symptomatum levamine.

Sequentibus diebus tanta fuit urinæ excretio, ut intra sex dies & anasarca & ascites integre cum omnibus symptomatibus disparuerit; debilitas minuta erat, & æger cibos appetebat.

Trigesima Julii incœpit oxymellis colchici tantum unc. j. per diem sumere: abdomen fasciis firmatum est, & cibis aptis majori copia vesci incœpit.

Sexta Augusti dedimus illi quotidie oxymell. colchici. unc. ß. conserv. cochlear, unc. j. limat. mart. o. rubigin. gr. x. quibus usque ad vigesimam Augusti continuavit uti. Vires brevi recuperavit; omnes functiones in integrum restitutæ fuerunt, & sub finem Augusti sanissimus discessit.

Decem primis curæ diebus alvus valde tarda fuit, & nonnisi emate sollicitata exonerabatur.

Casus triges. quintus.

Femina 59. annos nata & multis annis valetudinaria, ineunte anno 1769. incœpit tussitare, appetitus fere deletus, & respiratio admodum difficilis, anxia facta est.

Variis medicamentis absque levamine usa est, & demum provecto jam Aprili venam sibi secari curavit. Verum inde valde debilitata est, & increvit anxietas.

26. Aprilis ad nos delata est, toto corpore valde emaciata: sex notabiles in abdomine manu observavimus indurationes variæ magnitudinis, pugni binæ, ovi anserini una, tres aliæ minores, omnes fere functiones læsæ erant.

Dedi ipsi pilularum ex sapone veneto & gummi aromaticis dr. j. per diem & superpotandum decoct. gramin. & taraxac.

Sub usu horum medicamentorum res ægræ nullo modo emendatæ fuerunt: indurationes eædem mansere; respiratio difficilis, valde anxia & decubitus suppositis pulvinaribus semi-erectus tantum in dorsum possibilis factus est: somnus paucus, sæpe subitis anxietatibus inter-

ruptus; appetitus nullus; alvus tarda; urina pauca, plerumque fuſca; pulſus inæqualis, irregularis, ſat ſolidus tamen & vires adhuc præſeferens.

Declinante Maio, toto corpore intumuit, & ſimul incœperunt aquæ in abdomine colligi, febris ſat magna cum tenſione & inæqualitate pulſus inſurrexit: ſitis magna; lingua ſicca; reſpiratio crebra, celeris, brevis, evaſerunt, ut jam de ægra conclamatum eſſe crederetur.

Dedi ipſi medicamentum ſequens:

℞. Rob. ſambuci.
Ebuli aa. unc. j.
Oxymell. ſquillit. unc. ß.
Pulv. ſquill. gr. xx.
Nitri puri
Sal polychr. aa. dr. j.
Liquor anod. mineral.
gtt. xxx.

M. ut nychtemerii ſpatio partitis doſibus abſumat & emulſum ex ſeminibus frigidis.

Sub uſu horum medicamentorum per 12. dies continuato, febris, ſitis, linguæ ſiccitas diſparuere, & reſpirationis crebritas & celeritas multum remiſit; reliqua autem ſymptomata permanſerunt, aquarum in cavitate abdominis aucta

collectio illud in magnam molem distendit, multumque increvit anasarca.

Nona Junii ægræ quater de die oxymellis colchici unc. ß. dedimus absque ulla futuri felicis effectus spe; etenim præter reliqua mala signa, diu noctuque a quinque diebus in lecto erecta sedebat, continuo sopore detenta.

Prima die urinam, quæ antea paucissima erat, ad tres libras & ultra misit fuscam, saturatam, cum enæoremate denso, copioso, fundum petente, & alvum solidam pallide flavam multa pituita involutam deposuit.

10. Junii urinam minus fuscam misit ad lib. viij. Sequenti die ad mens. iij. & ultra: sopor disparuit; ægra minuta jam multum anxietate utcumque decumbere potuit, & sat tranquille per horam, & subin diutius dormire: mollito totius corporis habitu & abdomine minus tenso.

Continuavit diuresis valde copiosa esse, & 18. Junii anasarca disparuerat: ascites media ad minimum parte minutus erat: ægra in omnem partem facile decumbebat; bene dormiebat; appetitus erat bonus; alvus autem non nisi suppositorio vel enemate sollicitata evacuabatur.

Perrexit ægra dictam oxymellis colchici dosin eodem cum effectu sumere usque ad finem Junii, quo tempore omnis hydrops evanuerat: indurationes omnes excepta unica adhuc manifesta in inferiore & media epigastrii parte, quæ tamen multum minuta & minus solida erat, disparuerant: ægra jam ex lecto surgebat; per intervalla per cubiculum ambulabat.

Ne continuans magna diuresis ægram jam ab omni hydrope liberam nimis debilitaret, illi tantum unc. j. oxymell. colchici per diem dedimus, ut obstructiones penitus resolverentur, ac aptis alimentis corpus exhaustum conati fuimus reficere.

Circa medium Julii abdomen liberum erat; omnes functiones bonæ; vires increscebant, & carnes corpori incipiebant renasci: quare medicamento valedixit.

Tertia Augusti nosocomio exivit optime valens.

Casus Triges. Sextus.

FEMINA 77. annos nata, tota sua vita vix unquam ægrota, ante tres menses sensim incœperat debilitari, appetitu

languere, somnolenta fieri; transactis in hoc statu binis mensibus subito toto corpore intumuit; lecto affixa manere debuit; & 13. Augusti quinta nempe hydropis septimana ad nos delata est.

Habitus corporis externus aqua intercute multum tumebat, & ascite magno abdomen distendebatur; epigastrium supra reliquam abdominis molem assurgebat tensissimum, tympaniticum.

Valde debilis erat, anxia; appetitus nullus; urina jam a 15. diebus tantum subinde guttatim mittebatur; alvus tardissima, jam a quatriduo nulla.

Datus est illi pulvis purgans, quo quater alvus movebatur: dein quotidie oxymellis colchici unc. ij. absumpsit, & quotidie aliquot unciæ vini austriaci concessæ sunt.

Prima die vix ullum effectum fecit medicamentum: secunda sex urinæ varii coloris librarum excretionem promovit.

Postea diu noctuque tam copiosam urinam misit, ut 26. Augusti ab utroque hydrope integre liberata esset: epigastrium quoque penitus collapsum erat, & nihil præternaturale in abdomine detegebatur; appetitus erat bonus; sitis nulla; alvus naturalis, omni

alterno die ſponte ſecedens ; ſomnus bonus : ægra tamen continuavit oxymellis colchici unc. j. per diem ſumere uſque ad octavam Septembris. Appetitus erat valde magnus, & plures horas diei extra lectum ſubin ſedendo, modo ambulando tranſigebat. Data eſt ipſi ſequens conſerva :

℞. Conſerv. cochlear.
Oxymell. colchici aa. unc. j.
Limat. mart. o. rubig. gr. xv.
M. ut diviſis doſibus biduis ſpatio abſumat.

Hac conſerv. per 10. dies uſa eſt, manſit adhuc in noſocomio uſque ad 28. Decembris, qua optime valens ſola ad ſuos redivit.

CASUS TRIGES. SEPTIMUS.

FEMINA 25. annos nata, 17. Julii prima vice puerpera facta, lochiis quinta puerperii die ſuppreſſis, incœpit toto corpore intumeſcere : varia ipſi adhibita medicamenta nihil juverunt ; ægra 13. Auguſti ad noſtrum noſocomium delata eſt.

Totum corpus anaſarca occupabat ; abdomen in ingentem molem diſtendebant aquæ ; tormina frequentia, magna

abdominis patiebatur; erat valde debilis & anxia, urinæ excretio etiam sub alvi dejectionibus vix ulla; sitis magna; lingua pura, pallida.

Dedi ipsi decoct. rad. salab. cum laudano & unc. ij. oxymellis colchici per diem.

Jam prima die diarrhæa, abdominis tormina & sitis minuta sunt, & urina incœpit fluere.

23. Augusti diarrhæa & sitis cessaverunt; disparuere tormina, & uterque hydrops multum minuebatur.

25. Missum factum est decoctum, & solo oxymelle colchico usa est ægra.

Diuresis tam copiosa fuit, ut 30. Augusti nihil de hydrope superesset. Appetitus erat bonus, somnus tranquillus, & reliquæ functiones bonæ erant.

Ægra dein tantum oxymellis unc. j. per diem sumpsit, & maximam diei partem in cubiculo deambulans extra lectum transegit.

Octava Septembris quotidie oxymell. colchici & conserv. cochlear. aa unc. j. cum limatur. Mart. non rubigin. gr. vij. per diem sumpsit, atque sic continuavit usque ad 17 Septembris, qua optime valens ex nosocomio discessit.

CASUS TRIGES. OCTAVUS.

ANCILLA 28. annorum, ſub eruptione menſtruorum febri quotidiana corripitur 16 Auguſti anni 1769.

Tertia die incœpit toto corpore valde intumeſcere, & octava Febris die, 23. nempe Auguſti, febris ſponte ceſſavit.

26. Auguſti ad noſtrum noſocomium delata eſt : totus corporis habitus aqua intercute valde tumidus erat : abdomen ab aſcite in valde magnam molem elatum : alvus tarda ; urinæ excretio parciſſima, appetitus nullus ; reſpiratio difficilis & ægra valde debilis erat.

Sumpſit ægra oxymellis colchici unc. ij. quotidie : urinæ ſtatim magna copia excreta eſt, alvus quotidie bis, ter ſeceſſit : orta eſt tuſſis, quæ multis ſputis glutinoſis excretis poſt quatuor dies ſponte ceſſavit ; ſæpius ſudavit ægra.

Quarta Septembris omnis hydrops diſparuerat, vires meliores erant, & omnes functiones bonæ.

Data eſt ipſi poſtea oxymellis colchici tantum unc. j. per diem, & 9 Septembris cum jam facile extra lectum

esset, & per cubiculum deambularet; optime appeteret cum colchico & conserva cochleariæ Mars ipsi datus est.

His continuavit uti usque 19 Septembris, qua optime valens ad heram suam redivit.

Quas hucusque retuli observationes de oxymelle colchico, videntur sufficere ad probandam confirmandamque ipsius in variis hydropis speciebus efficaciam neque omnes casus felices referam; valde magno volumine opus esset, ut omnes felices hoc medicamento peractas curas scriberem; solo hoc anno 1772. ultra centum tam hydropicos quam hydropicas illo curavi, quorum historias neglexi: cum nihil diversi ab iis, quæ jam retuli observaverim: hinc tantum duos alios casus mixtos addam.

Casus triges. nonus.

Puella 28. annorum, a 12. ætatis anno menses regulares omni mense per tres quatuorve dies habens, semper sana, vigesimo ætatis anno in quadam domo hic Viennæ famulatum inivit, cumque habitatio angustior esset, de-

buit etiam hyemali tempore in culina frigidissima noctu jacere.

Frigus hyemale sic sustinuit fere per novem annos absque incommodo : anno autem 1768. circa mediam quadragesimam artus inferiores intumuerunt œdematosi, & prima Aprilis corporis truncus, artus superiores & totum caput pariter tumidissima evaserunt, ut vix amplius oculos aperire posset.

Tertia Aprilis ad religiosas sanctæ Elisabethæ missa, ibi per septem hebdomadas jacuit : varia sumpsit medicamenta absque levamine, imo hydropi intercuti incœpit se adjungere ascites.

Inde Badam petiit, ubi per quindecim dies balneis usa, multum increvit anasarca, & abdomen aquis distentum in valde magnam molem elatum est : menstrua, quæ huc usque regularia fuerant, emanserunt; periit appetitus ; & ægra valde debilitata est.

Domum curru revecta variis adhuc usa est remediis, quæ omnia irrita fuere, mansit tamen domi usque ad trigesimam Augusti qua ad nostrum nosocomium delata est.

Abdomen erat aquis plenum, tensum, in valde magnam molem ela-

tum, & totus corporis habitus tumidissimus; respiratio brevis, laboriosa, anxia, decubitus impossibilis, alvus tarda, urina paucissima, tantum guttatim missa, biliosa: appetitus nullus; sitis multa.

Sumpsit per triduum oxymell. colchici unc. ij. quotidie absque effectu: data sunt dein unc. iij. ejusdem medicamenti per diem: verum præter imminutionem sitis nullam mutationem attulerunt, & metu suffocationis increscente paracenthesis instituta est octava Septembris, qua ad minimum 40. libræ aquæ sat puræ eductæ sunt cum magno respirationis levamine.

Perrexit ægra eadem oxymellis colchici dosi uti: alvus liberior fuit, appetitus utcumque incœpit vigere, & decubitus fuit multo facilior: urina tamen valde pauca excreta est, & 23 Septembris debuit iterum paracenthesis institui, qua copia aquæ fere æque magna ac prima vice educta est.

Colchicum missum fecimus & squillam varia forma ægræ dedimus, inde autem nauseæ, vomitus, anxietates ortæ sunt, neque inde urinæ excretio aucta est; ita ut post paucos dies ad alia devenire debuerimus. Dedimus ipsi

etiam vinum. N. 5. Verum & hoc nihil immutavit, & brevi iterum ita increvit ascites, ut elapsis a secunda paracenthesi sedecim diebus denuo institui debuerit. Post hanc alia, quæ & viribus solventibus, aperitivis & diureticis multum commendantur, adhibui medicamenta: verum post viginti dies ascites æque magnus erat, ac dum ad nos venit; anasarca idem, & reliqua symptomata increverant ita ut denuo cannula aquæ educi debuerint.

Sic ante finem Novembris anni 1768. non obstante usu optimorum medicamentorum ab authoribus contra hydropem commendatorum sexies paracenthesis institui debuit, aquis sat claris manentibus.

Ægræ tunc dedi oxymell. colchici unc. ij. extract. cicutæ dr. ij. M. ut quotidie absumat: diuresis paulo copiosior facta est: artus superiores, caput, & superior trunci corporis pars sensim parum detumuerunt: elapsis tamen quatuor septimanis ascites denuo ita increverat ut respiratio valde anxia esset, & valde difficilis decubitus, quare paracenthesis de novo instituta est.

Idem medicamentum continuavit sumere ægra: appetitus utcumque bonus

evasit ; & 27. dies præterierunt antequam cogeremur paracenthesin octava vice instituere.

Continuato ejusdem medicamenti usu urinæ excretio ad tres quatuorve libras nychtemeri spatio facta est. Truncus superior, artus superiores, & facies penitus detumuere, sicque mansere ultra quinque hebdomadas & ascites lente renatus est. Sub finem tamen Februarii toto corpore denuo incœpit intumescere, & abdomen in tantam molem increvit, ut ægra denuo in periculum suffocationis devenerit, unde septima Martii nona vice aquæ cannula ex abdomine evacuatæ fuerunt æque copiosæ & minus puræ quam ante.

Octo post hanc paracenthesin diebus elapsis abdomen denuo aquis incœpit distendi : sed 18. Martii diuresis incœpit fieri valde copiosa, & intra quinque dies totus corporis habitus integre detumuit, & ascites penitus disparuit.

Continuavit tamen ægra usque ad medium Maii eandem prædictorum medicamentorum dosin sumere : dein quotidie limat. mart. non rubigin. gr. x. cum conserv. nast. aquat. & oxymell. colchici aa. unc. j. absumpsit usque ad finem Maii, qua cum optime haberet,

& omnes functiones naturales essent, facies coloris sanissimi ab omni medicamento abstinuit.

Septima Junii anni 1769. sana & robusta servitium inivit, in quo per triennium sana vixit: hoc anno autem post febrim putridam exantlatam denuo hydropica facta est, & nunc in nostro nosocomio curatur.

CASUS QUADRAGESIMUS.

PUELLA 26. annorum, initio Augusti anni 1769. incidit in febrim acutam, putridam, quæ per tres septimanas duravit, & prout retulit, absque evacuationibus criticis, circa 21. morbi diem cessavit; ægra statim incœpit artubus inferioribus tumere, & brevi totum corporis habitum anasarca occupavit, & abdomen incœpit protuberare.

Variis incassum adhibitis medicamentis undecima Octobris ejusdem anni ad nostrum nosocomium delata est.

Valde tumebat totum corpus, abdomen aquis in ingentem molem distentum: ægra erat valde debilis, anxia, coloris viridis, cæruleo præcipue in facie & artuum extremita-

tibus mixti ; alvus erat tarda , dura , variegata ; urina paucissima saturate biliosa.

Dedi illi oxymell. colchici unc. ij. per diem , & congruis cibis ac pauco vino conatus sum vires sustinere , erigere.

Octo primis diebus urina ad binas , tresve libras excernebatur. Minus saturata , & multa sputa glutinosa varii coloris expectoravit : tumor intercus & abdominis videbatur molliri , respiratio facilior fieri.

Verum hæc non continuaverunt ; uterque hydrops sensim magis increvit , & sub finem Octobris imminente suffocationis periculo , paracenthesis debuit institui , qua magna copia aquæ sat claræ educta est , eductis aquis epigastrium & hypochondrium dextrum mansere tumida , dura.

Sumpsit tunc ægra extracti cicutæ dr. j. & oxymell. colchici unc. ij. per diem : urinæ autem æque paucæ ac ante fluxere , & ita cito aquæ renatæ sunt, ut elapsis 15. diebus cannula denuo debuerint educi. Epigastrium & hypochondrium dextrum erant minus tumida , minus dura.

Eadem medicamenta perrexit sume-

re; alvus libera, mollis, coloris boni, quotidie bis, ter secessit: sed mansit parca urinæ excretio & ascites brevi in priorem molem denuo increvit, quare initio Decembris tertia vice paracenthesis institui debuit: aquæ erant limpidæ, epigastrium & hypochondrium erant mollia, collapsa & anasarca minutus: color faciei & artuum melior.

Continuato dictorum medicamentorum usu, ascites primis ab operatione diebus videbatur quidem renasci, sed brevi viæ urinariæ reseratæ sunt; facta est magna urinæ excretio, & intra paucos dies omnis hydrops disparuit: somnus & appetitus evasere optimi, respiratio libera, & ægra bonam partem diei incœpit extra lectum transigere.

Usa est eadem cicutæ & colchici dosi usque ad finem Januarii 1770. dein per 16. dies martem sumpsit, & declinante Februario sana & robusta dimissa est. Sub finem anni invisit nosocomium gratiarum actiones repetitura, optime valens.

COROLLARIA.

Colchicum tutum & lene medicamentum est quod dosi morbo adaptata exhibitum nemini nocet, plurimis prodest.

In asciticis temperamento strictiori præditis citius & minori dosi operatur, quam in aliis, quibus laxior corporis compages.

Vis solvens colchici virtuti diureticæ fere æquiparanda est: abdominalium enim viscerum obstructiones potenter reserat; tumores solvit; pulmones a glutine tenaci aliis medicamentis non obediente sæpius promota expectoratione, quandoque modo vix sensibili cito liberat.

Boni ominis sunt hydropicis incipientibus colchico uti, urinæ fuscescentes vel fuscæ cum enæoremate fusco vel etiam nigro, crasso, copioso brevi in colorem dilutiorem mutatæ & præcipue observantur, in iis qui hydrope jam provecto & aliis medicamentis rebelli laborant. Bonæ etiam primis curæ diebus, quæ sedimentum deponunt mucosum, leve, mixtum, granulis varie

coloratis, fundum vasis petentibus. An denotant tales urinæ vasa uropœtica reserari, soluta materia crassa, tenaci qua infarcta erant, & quæ quandoque hydropis causa primaria est?

In hydrope alvum habere liberam salutare: frequens & copiosa alvus quandoque prodest anasarca laborantibus, si sint robusti: asciticis vero vires ad curationem necessarias adimit, & raro quemdam vidi hac via curatum: hinc si data majori oxymellis colchici dosi, corpore jam per medicamenta antea assumpta vel intestinorum nimiam irritabilitatem ad alvi dejectiones propendente, alvi fluxus nimius oriatur, intra debitos limites coercendus est: in quo casu opium demulcentibus mixtum apprime votis satisfacit: tollit tormina, si adsunt; moderatur alvum & sæpe dein sequuntur copiosæ urinæ excretiones, quas non raro comitatur salubris sudor.

Subinde sudore per totum corpus erumpente æquali copioso sæpius repetente, cura hydropis etiam ascitis maxima parte perficitur: quandoque etiam sub usu colchici nulla facta notabili evacuatione tumor hydropicus collabitur.

Dosis oxymellis colchici non potest, nec quantum credo poterit unquam determinari: pendet enim a variis temperamentis, a varia causarum hydropis magnitudine & pertinacia, imo videtur varia aëris temperies multum contribuere ad majorem vel minorem diureticorum actionem. Atque non improbabile videtur varium solum in quo crescit colchicum multum contribuere posse ad ipsius majorem vel minorem efficaciam.

Bulbus colchici, ut efficax sit medicamentum, recens esse debet & succulentus; qui enim effœtus est & subfarinosus, nullam habet virtutem, nec ullam acrimoniam, & potest impune comedi magna dosi; ubi e contrario parva succulenti & recentis bulbi portio & hominum & brutorum sanitatem turbat, lædit, & sæpe mortem adferre potest.

Prudens Medicus circa dosin hujus medicamenti peccare non potest: licet enim efficacissimum sit, est admodum lene, præterea semper a minori dosi incipiendum est, quæ si non sufficiat, sensim augenda est, nisi peculiaris ægri idiosyncrasia, quam huc usque non vidi, medicamentum respuat. Dedi despera-

te hydropicæ unc. iv. per diem & illam curavi.

Colchicum eſt ex omnibus, quæ nota ſunt, anti-hydropicis efficaciſſimum, corpus minime turbans, ſecure etiam exhibendum præſente febri, cui medetur, dantur tamen aliquando hydropes colchico non curandi, aliis medicamentis cedentes. Sic vidi perilluſtrem ac magnificum Archiatrum *Storck* mixtura ex vino auſtriaco & lapidibus cancrorum in noſtro noſocomio curaſſe hydropicum, cui nulla alia medicamenta profuerant, & ego anno elapſo eadem mixtura virum ex orci faucibus eripui, quem ſalibus, millepedibus, ſquilla, colchico & aliis medicamentis fruſtra tentaveram curare.

Quandoque præter colchicum alia medicamenta v. g. leviter ſtimulantia, roborantia &c. nimis languidæ corporis actiones &c. exigunt, plerumque tamen ſolo colchico curationes ad finem perducuntur, & talia tantum ad curæ confirmationem adhibentur.

CAPUT SECUNDUM.

DE

ACONITO ET HYOSCYAMO.

CASUS PRIMUS.

TRIGINTA quinque annorum femina, cui menstrua irregularia jam a pluribus annis fluebant, a tribus annis vagis artuum doloribus sine febre laborans, & jam a quatuor mensibus vehementissima arthritidis symptomata patiens, artubus præ dolore vix mobilibus 26 Augusti 1764. ad nostrum nosocomium delata est.

Valde emaciata erat, tussi frequenti inani vexabatur; epigastrium & hypochondria tensa erant, ab attactu dolentia, ingentem in humero sinistro patiebatur dolorem, lancinantem, urentem, totum brachium in consensum trahentem, brachium dextrum eodem modo, sed lenius afficiebatur; similes dolores lumborum vertebras & os sacrum ado-

rientes, per medium diem subinde remittebant; malleolus externus pedis dextri valde tumidus, lividus, durissimus, genu ejusdem lateris interna sui parte magno tali tumore affectum, immobile; media cruris sinistri tibia in duram exostosin cute livida tectam duos pollices longam, ultra pollicem latam multum elevatam excreverat, hi tumores ægræ magnos dolores causabant. Appetitus nullus, sitis pauca, alvus tarda, cutis sicca, somnus præ doloribus paucus, pulsus mollis, debilis, apyretos.

Solventia, leniter purgantia per 14. dies ipsi dedimus, inde tensio & dolor hypochondriorum & epigastrii disparuerunt.

Post hac dedimus illi extracti aconiti gr. j. per diem cum saccharo & decoctum emolliens.

Diebus ab usu horum medicamentorum decem elapsis, dolores valde remiserant, tussis cessaverat, & omnia in melius mutabantur, in tumoribus autem nulla adhuc alia mutatio sensibilis fiebat.

12. Septembris malleolus & genu multum mollita, collapsa, crus movere, imo illi insistere, & cum dolore ince-

dere poterat, tumor quoque tibiæ cruris sinistri minor, minus lividus videbatur.

Iisdem medicamentis ad septimam Octobris continuavit uti, & nona ejusdem resolutis omnibus tumoribus, sana discessit.

CASUS SECUNDUS.

FEMINA triginta aliquot annorum, sanguinei temperamenti, menstruis sat regularibus semper gavisa, vix unquam ægrota sub finem Aprilis, anni 1764. arthritide valida corripitur; adhibentur per totum mensem Maium varia medicamenta, non omissa initio venæ sectione, nihil inde levaminis habet: imo omnia in pejus ruunt. Prima Junii ad nostrum nosocomium defertur.

Omnes articuli valde dolebant, utriusque cruris tibia tumore sat magno osseæ duritiei, versus inferiorem sui partem occupabatur; omnes malleoli durissimi, valde tumidi erant, hi tumores ægræ tantos dolores lancinantes dilacerantesque causabant, ut dies noctesque inquietissima transigeret, & artus inferiores nullo modo movere posset.

Præmisso purgante datum est ægræ extracti aconiti gr. j. per diem cum saccharo & emulsa paregorica.

Hac dosi per decem dies continuata, dolorum aliquod levamen percepit ægra, reliqua autem immutata permanebant, quare medicamenti gr. j. ß. per diem ipsi datum est.

17. Julii sensus formicationis in omnibus artubus ac præcipue in cruribus aderat, dolores erant minuti, tumorum moles paulo minor, & ægra pacate incœpit dormire.

Initio Augusti tumoribus multum collapsis, residuo licet duro manente, & doloribus fere integre ablatis, sola ex lecto incœpit surgere & sustentata baculo incedere.

Hac methodo continuata, duodecima Septembris femina sanissima ad suos redivit.

CASUS TERTIUS.

FEMINA 50. annorum, jam ultra annum menstrua evacuatione privata, robusta, sanguinei temperamenti declinante Februario anni 1765. arthritide valida corripitur, domi lecto affixa

venæ sectionem & alia medicamenta sine effectu adhibet ad decimam Martii usque, qua ad nostrum nosocomium delata est.

Pulsus erat plenus, durus, febrilis, ingentes patiebatur articulorum dolores, sitis erat multa, urina valde rubra cum enæoremate copioso innatante, reliquæ functiones sat bonæ.

Venæ sectione, medicamentis emollientibus, aperientibus, nitrosis, sero lactis usque ad decimam Aprilis adhibitis febris fugata est, dolores autem aucti sunt, articulos omnes duri, rubentes, valde dolorifici tumores occuparunt, & ægra neque artus, neque artuum digitos ullo modo præ doloribus movere poterat.

Datum est illi extracti aconiti gr. j. per diem tripartita dosi, & pro potu ordinario, decocto hordei, pradic. bardanæ, acetosæ cum oxymelle simplici continuavit uti.

Elapsis quinque diebus, mirum quantum levamen habuerit, articulorum dolores & tumores ita minuti erant, ut ægra noctu optime dormire, ex lecto interdiu surgere & per cubiculum lente incedere posset.

Usa est aconito ad tertiam Maii usque, & septima ejusdem sanissima discessit.

CASUS QUARTUS.

PUELLA 25. annorum, 9. Decembris 1765. meæ curæ se commisit.

Ante duos annos cephalalgia laborans emplastro quodam capiti applicato validis convulsionibus correpta est, quæ per quatuor dies vix intermiserunt, ægra sui omnino nescia, loquela & motu brachii ac cruris dextri privata.

Ab eo tempore lecto affixa mansit hemiplectica, loquela fere orba, convulsiones modo per plures dies illam invadebant quotidie; modo uno, binis, raro tribus diebus intermittebant, illam acerbius invasuræ, menstrua, quæ regulariter semper habuerat, emansere.

Per biennium successive quinque Medici sunt accersiti, quorum tres ipsi medicinam sine ullo effectu fecerunt, alii commiserantes ægram suo fato reliquerunt. Advocati dein sunt Chirurgi, Balneatores, aniculæ, qui omnes illam curando æthyopem lavarunt.

Initio Septembris 1765. ter quaterve

in die incœpit valide convelli, & ab illo tempore nullus dies a convulsionibus pluries repetitis liber fuit.

Uno vel duobus minutis primis ante paroxysmum præcedebant interna quædam abdominis agitatio, concussus; succedebat statim pectoris siccitas, concussus, qui brevi collum occupabat, & tunc ægra sui nescia convellebatur.

Dum prima indicia paroxysmi advertebat, adstantibus manu sinistra signum dabat, ut cochleare in os intruderent, ne lingua, quam sæpe acriter momorderat, læderetur, strictissime enim dentes adinvicem allidebantur, & sic jam tres molares dentes & sex alios diffregerat.

Tempore paroxysmi brachium paralyticum curvabatur & manu pectus valde percutiebat; pes ejusdem lateris retrorsum ad nates ducebatur & hinc inde valde agitabatur.

Ingruente primo paroxysmi signo aphona fiebat, & extra paroxysmum difficillime intelligenda balbutiebat; oculus dexter lumen ferre non poterat, totum dextrum capitis hemisphærium doloribus lancinantibus, pungentibus extra paroxysmum afficiebatur; appe-

titus extra paroxyſmum utcumque bonus, alvi & urinæ excretio debite procedebat, cutis ut plurimum ſicca, ſitis pauca, reſpiratio bona; pulſus mollis, mire inæqualis, apyretos; ſomnus paucus, corpus tamen non emaciatum, colore ſano præditum.

Per decem ſeptimanas in & externe omnia applicui quæ profutura credebam, veſicantia, fomenta, cataplaſmata, medicamenta ſolventia, evacuantia, emmenagoga, caſtoreum, moſchum, paregorica, folia aurantiorum; verum nihil effeci, a cortice peruviano & aliis roborantibus omnia exacerbabantur.

Circa medium Februarii de cura deſperans extracti aconiti gr. j. cum ſaccharo tripartita doſi per diem dedi, cui decoct. rad. ſalab. vel emulſ. adjungebatur.

Paucis diebus elapſis paroxyſmi breviores, minus vehementes fuere, ſicque ſenſim ita remiſerunt, ut 12. Martii penitus emanſerint, & ab eo tempore nullum eorum ſignum amplius adfuerit. Potuit ægra e lecto ſurgere, crure & brachio uti, multo liberius & intelligentius loqui.

Decima ſexta Martii prodiere menſ-

strua, quæ per quatuor, quinque dies copiosa fluxerunt, ægræ rebus continuo in melius mutatis.

Perrexit eadem extracti aconiti dosi uti, quotidie plures horas extra lectum transigens, per cubiculum deambulans, oculo dextro jam lucem facile ferente.

Duodecima Aprilis cum sana esset, medicinæ valedixit, & debito tempore denuo menstrua erupere.

Sic exigua extracti aconiti dosi dirissimus morbus, cujus cura a pluribus peritis Medicis frustra fuerat tentata, demum perfecte sublatus est.

CASUS QUINTUS.

VIR 60. annorum, sub finem Martii 1766. vehementi ira excandescit; invadunt illum subito validissimi dolores a scapula sinistra secundum spinam dorsi ad os sacrum descendentes, quibus eadem adhuc die totum brachium & crus sinistrum ita affecta sunt, ut omnis motus in illis perierit.

18. Aprilis multis incassum adhibitis remediis ad nos defertur.

Præter jam descripta mala, tussi va-

lida, qua ejiciebatur gluten valde tenax, afficiebatur, respiratio erat laboriosa, anxia.

Indicatis in tali casu medicamentis ad 26. Aprilis usus est, quibus & tussis lenita & respiratio liberior reddita, manente eadem dolorum intensitate & artuum immobilitate, ut neque se erigere, neque solus comedere posset.

Dedi illi extracti aconiti gr. j. per diem cum saccharo, inde citum levamen habuit, & prima Maii brachium, licet cum dolore, jam aliquantulum movere poterat.

Sexta Maii aliquis motus quoque in crus rediverat, & dolores ubique sensim leniores fiebant, æger sat diu in lecto sedens manere poterat. Somnus antea valde inquietus, nunc pacatus ad 4. 5. horas noctu protrahebatur, & interdiu etiam subinde dormiebat, appetitus erat bonus, sitis nulla, & naturales excretiones bene procedebant.

Omnia posthac sensim in melius mutata sunt. Initio Junii omnes dolores evanuerant, senex fere integrum diem extra lectum transigebat, libero omnium artuum usu gaudens.

Continuavit eandem extracti aconiti

dosin sumere usque ad 14 Junii & 17. ejusdem sanus & robustus ex nosocomio discessit.

CASUS SEXTUS.

OPERARIUS 65. annos natus, 4 Junii 1767. ad nos delatus est.

Elapsus erat annus, ex quo grave quod gestabat, onus, dum illud deponere vellet, in pedem ipsius sinistrum ceciderat, & tres pedis digitos vulneraverat.

Hæc vulnera emplastro quodam applicato brevi coaluerunt, revertentibus frequenter acutissimis doloribus, a digitis pedis secundum externam cruris & femoris partem ad os sacrum usque protractis, hujus artus usum valde difficilem reddentibus, quare pauperculus senex necessaria sibi laborando suppeditare impotens, mendicare coactus est.

Initio Junii a custodiis captus est, in locum ubi asservantur pauperes deducendus; inde valde terrefactus omnium artuum motu privatus est, antiquis doloribus illum diu noctuque cruciare continuantibus. Tussis frequens inanis erat, pulsus

pulsus autem, respiratio & functiones naturales sat bonæ.

Extracti aconiti gr. j. per diem statim incœpit sumere & simul decocto emollienti usus est.

Duodecima Junii jam solus ex lecto surrexit, & baculo adjutus utcumque incedere potuit.

Perrexit iisdem uti usque ad initium Julii, & septima ejusdem perfecte sanus dimissus est.

CASUS SEPTIMUS.

SUTOR 21. annorum, circa festa natalitia anni 1766. subito validis lumborum doloribus correptus est, nec potuit amplius laborare; dolores subinde in vertebris lumborum orti & in os sacrum propagati ita itendebantur, ut per plura minuta antrorsum incurvatus nullo modo se movere posset.

Delatus est ad nostrum nosocomium 28. Maii 1767. postquam jam multa ipsi applicata fuerant remedia.

Inveni epigastrium & hypochondrium sinistrum valde elata, dolentia: alvus jam a longo tempore valde tarda; dolores ab osse sacro ad vertebras dorsales

usque tanti erant, ut æger se movere non posset.

Medicamentis leniter purgantibus ad septimam Junii usque absque levamine ra-usus est: dein taraxaci, graminis radicum saturatissimi decocti, cui dr. ij. salis polychr. &c. additæ erant, quotidie lib. j. sumpsit.

Sub hujus usu hypochondrium & epigastrium collapsa, mollita sunt, & in his dolores cessaverunt: furentes autem evaserunt in vertebris lumborum & osse sacro.

Decima quinta Junii extracti aconiti gr. j. ipsi per diem dedi & decoctum radicis salab.

Sensim ita remisere dolores, ut 12 jam solus se erigere & in lecto sedere potuerit.

25. E lecto surrexit, & sat facile incedere potuit; appetitus in initio deletus nunc magnus erat: reliquæ functiones bonæ.

Extracto Aconiti usus est ad tertiam Julii, & septima ejusdem exivit perfecte sanus.

Plura de hoc medicamento scribere supervacuum duco; cum propria experientia me docuerit, omnes, qui illo utuntur, in morbis, in quibus illud

commendavit magnificus *Storck*, summam in his morbis curandis felicitatem experiri debere.

Licet in nunc relatis casibus tantum ad granum unum exhibuerim, in magis rebellibus morbis ad gr. ij. iij. iv. exhiberi potest.

Prodest in omnibus morbis, ubi viscida lympha obstructiones causat: sic frater meus in hac celeberrima universitate anatomiæ professor pertinacissimas febres quartanas, omnibus medicamentis & ipsi cortici rebelles hoc medicamento ruri curavit.

Hyoscyami virtutes a magnifico archiatrorum comite Antonio *Storck* in nervorum affectibus laudatas frequenter in ægris confirmatas vidi.

Ut tamen brevius sim, tantum unum casum notatu dignissimum referam.

Femina 52. annos nata, prima Junii anni 1770. ad nostrum nosocomium ex domo castigatoria defertur.

Illuc ob debita ab aliquo tempore deducta in magnum mœrorem lapsa, semel, bis, quandoque ter per diem valde convellebatur; noctu ex lecto surgebat somnambula per mediam horam & ultra, dein in lectum sola se iterum componebat, hocque in una

nocte sæpius: sat plenus, fortis, apyretos pulsus erat; respiratio naturalis, appetitus multus; sitis frequens; alvus tarda; urina sana; habitus corporis sat torosus, coloris naturalis; quædam in episgastrio & hypochondrio dextro observabatur tensio; vires sat magnæ.

Statim vena ipsi secta fuit, unde sanguis sat bonus eductus: dein variis solventibus, purgantibus, nervinis, anti-hystericis &c. incassum tentavimus usque ad initium Februarii anni 1771. ægræ levamen adferre: omnia symptomata immutata permanserunt: imo epigastrium & hypochondrium dextrum multo tumidiora, dura, ab attactu dolentia evaserunt: ægra multum emaciata & debilitata fuit.

Post optima diu secundum indicationem absque bono effectu diligenter adhibita medicamenta, vix spes curationis superesse videbatur: nihilominus tamen extracti hyoscyami gr. xij. per diem ægræ 9. Februarii 1771. dare incœpi.

Hæc dosis usque ad 14. continuata nullam mutationem adferebat: quare ejusdem medicamenti scr. j. per diem dabatur.

20. Februarii convulsiones de vehe-

mentia & duratione ſua multum amiſerant; jam binas noctes tranquille dormiverat; epigaſtrium & hypochondrium molliora; alvus ſolito liberior, & reliquæ functiones ſat bonæ.

Data ſunt ipſi medicamenti g r xxiv. per diem & 26. dr. ß.

Convulſiones ſenſim rariores factæ ſunt, & circa finem Martii tantum omni ſecundo, tertiove die illam invadebant; lenes erant, & vix per tres quadrantes horæ durabant, quibus finitis ægra ſibi præſens erat, cum antea poſt paroxyſmum ultra horam quaſi maniaca eſſet: raro amplius noctambulam agebat; epigaſtrium & hypochondrium fere naturalia; bis, ter, ſubinde quater in die alvum pultaceam, mollem, varii coloris toto menſe Martio depoſuit, & reliquæ functiones naturaliter peractæ: vires augentur; carnes corpori ſenſim renaſcuntur: continuat eadem medicamenti doſi uti.

Uſque ad medium Aprilem aliquoties adhuc adfuit paroxyſmus convulſivus & noctu inſcia deambulavit; poſtea autem nihil amplius de priori morbo apparuit.

Initio Maii cum epigaſtrium & hypochondrium nihil amplius morboſi præ ſe ferrent, & alvus liberalior eſſe conti-

nuaret, tantum dedi ægræ ejuſdem medicamenti gr. xij. per diem: ut ſi quæ adhuc laterent viſcerum obſtructiones, ſenſim integre tollerentur.

Ægram in noſocomio ſervavi uſque ad 20. Junii: partim ut effluxu hujus temporis ſpatii ſecurus fierem de perfecta curatione; partim etiam ut vires & carnes decurſu longi morbi perditas magis recuperaret.

Miſſum tamen fecimus ſub finem Maii medicamenti uſum, & 20. Junii ſanam, robuſtam & toroſam feminam ex noſocomio dimiſimus, pulcherrimum teſtimonium magnarum extracti hyoſcyami virtutum nobis relinquentem.

CAPUT TERTIUM.

DE POLYGALÆ AMAR. RADICIS

Contra suppurationem Pulmonum, & Phthysin pulmonalem usu.

CASUS PRIMUS.

DELATA fuit ad nostrum nosocomium 12. Augusti anni 1760. femina 60. annos nata, a sesqui-anno sputa purulenta habens, quæ, dum ad nostrum nosocomium deferebatur, frequenti tussi ejiciebantur copiosa, flavescentia, tenuia, & jam a tribus mensibus ascite laborabat. Per totum mensem Augusti lenia medicamenta expectorantia simul & diuretica cum aliqua ascitis imminutione sumpsit; continuabant autem sputa ejusdem notæ copiosissima prodire, & pulsus omni vespere febrilis fiebat, & noctes inquietæ erant.

Prævidebam, etiamsi bona fortuna

ab hydrope curaretur ægra, illam tamen cum tanta pulmonum suppuratione non diu supervicturam: hinc statui polygalam in illa experiri, præcipue cum inde apud plures urinam majori copia excerni vidissem.

Prima ergo Septembris incœpit decocto N. 9. uti, & vespere ad somnum conciliandum syr. diacod. unc. j. sumpsit: appetitus erat tunc paucus, & ægra adeo debilis; ut nec extra lectum sedere posset.

Quarta Septembris sputa ejusdem quidem coloris erant; verum multo minus tenuia; tussis facilior; noctes magis tranquillæ; urinæ rubellæ cum nubecula innatante, sat copiosæ excernebantur; alvus naturalis & appetitus melior.

Undecima Septembris sputa, minori copia reddita, fere alba erant, optimæ consistentiæ; tussis erat facilis & minus frequens; respiratio multo liberior; insurgebant vires, & moles abdominis non augebatur.

Decima sexta Septembris appetitus sensim sub usu polygalæ renatus, ita auctus erat, ut de fame conquereretur: quare majorem ipsi ciborum eupetorum copiam concessimus.

Continuavit eandem medicamenti dosin sumere usque ad vigesimam Septembris, qua sputa sensim minuta fere integre emanserant; tussis autem erat validior, frequentior, ægram fatigans.

Missum fecimus polygalæ decoctum, & illius loco dupla dosi decocti radicis salab. usa est: quod exhibito simul vespere leni paregorico tussim brevi lenivit, expectorationem facilem reddidit; sputis tamen vix quartam partem eorum, quæ expectorabantur dum ad nos venit, æquantibus.

Vigesima sexta Septembris denuo incœpit decocto polygalæ uti, & syrupo althææ pro linctu.

Rara post hæc fuit tussis & facilis, sputa pauca facile prodierunt, & omnia ita sensim in melius mutata sunt, ut duodecima Octobris & sputa & tussis omnino disparuissent, relicta respiratione libera.

Moles abdominis sub usu polygalæ non fuit aucta: verum quia inde integra aquarum evacuatio sperari posse non videbatur, aliis lenibus diureticis hydropem agressus sum, quæ sub finem Octobris disparuerat.

Sumpsit dein femina per aliquod

tempus medicamenta leniter roborantia, & sub finem Octobris perfecte sana & robusta ex nosocomio dimissa est.

CASUS SECUNDUS.

JUVENIS 24 annorum, initio Octobris 1760. ad nos deferebatur: ante sex septimanas dolore acuto, punctorio lateris dextri & tussi frequenti, qua sputa glutinosa, difficilia educebat, correptus fuerat; a quindecim diebus vespere & noctu valde calebat; tussis frequentior, vehementior erat, unde lateris dolor multum exacerbabatur; urina russa; alvus tarda; sudores omni nocte copiosi.

Vidit illum mecum, primo die quo in nosocomio decubuit, magnificus dominus *Storck*, cui felicem prioris ægræ curam polygala peractam retuli, & intentionem meam de eadem huic ægro danda communicavi.

Erat æger valde emaciatus, sputa purulenta, alba, copiosa reddebat, & magnus in pectore stertor continuus audiebatur; pulsus erat febrilis; sitis tamen non magna, & levia alimenta libenter assumebat.

Tertia Octobris incœpit decoct. N. 9.

uti, ac ſimul dabatur ipſi ſyr. diacod. oxymell. ſquill. aa. unc. j. ß. ut ſubinde parvum cochleare ſumeret.

Urina ſolito copioſior prodiit, ſputa copioſiora reddidit, noctesque fuere tranquilliores.

Octava Octobris narrabat nobis gaudens, dum illum mane inviſebamus, ſe noctem ſine ſudoribus tranſegiſſe, ac quater noctu urinam ſat copioſam miſiſſe; reſpiratio multo liberior erat, & ſtertor minutus; alvum habebat coctam, naturalem.

Binas ſequentes noctes pariter ſine ſudore tranſegit, & febricula veſpertina lenior erat: nocte tamen decimæ diei Octobris ad undecimam iterum copioſe ſudavit: poſtea autem ſudor rarus fuit, iſque non copioſus.

Continuavit æger ſputa minus copioſa vario diei tempore facile ejicere uſque ad vigeſimam primam Octobris, qua die tantum matutino tempore moderata quantitate ſputa reddidit; reliquo vero diei tempore fere integre a tuſſi liber fuit; febricula veſpertina caruit; noctu optime dormivit, ac mane denuo ſputa optime cocta per binas circiter horas tuſſi facili minime dolente rejecit.

Continuavit æger eadem medica-

menti dosi uti; tussis sensim & sputorum excretio ita minuta sunt, ut initio Novembris vix de illis signum superesset.

Gaudebat magnificus *Storck* mecum de felici non minus quam celeri hujus ægri cura.

Polygala tamen usus est usque ad medium Novembris; deinde omni medicamento abstinuit & tantum cibis aptis ægrum aluimus, quibus intra quindecim dies aliqua corpori torositas restituta est, & vires ita increverunt, ut potuerit ex nosocomio discedere.

CASUS TERTIUS.

DELATUS fuerat ad nostrum nosocomium vir 30. & aliquot annorum initio Octobris anni 1760. cum gravissima peripneumonia neglecta, quæ non obstantibus omnibus artis auxiliis in suppurationem magnam abivit: omnia usitata in his casibus medicamenta adhibui usque ad vigesimam Octobris, qua cum materies purulenta æque copiosa in pulmonibus generaretur, sudoribus æger sæpius difflueret, & febricula fere continua cum horripilationibus vespere exacerbata continuaret affici, consilio

habito cum perillustri ac magnifico *Storck*, polygalam illi exhibui, & lac cum hordei decocto: erat enim valde debilitatus & emaciatus.

Primo & secundo die quibus hoc medicamento usus est, nullam mutationem advertimus; tertio vero die minor fuit sputorum copia, & respiratio facta est laboriosior & noctem habuit inquietam, unde cum vigesima quarta Octobris permanerent hæc symptomata, præter polygalam & lac quater de die sumpsit pulv. expector. dr. j. Hic pulvis constabat sacchari candi albi unc. kerm. mineral. gr. xv. stib. diaph. o. abl. dr. j.

Hoc modo expectoratio æque copiosa intra 24 horas adfuit ac antea & respiratio facilior facta est.

Vigesima septima Octobris cum sputa admodum copiosa & tenuia ejicerentur subflavescentia, abstinuit a kermes mineralis usu & decocto. N. 9. laudan. liq. syd. dr. ß. addita est: toto die in eodem fere statu permansit, & noctem sat pacatam habuit.

Vigesima octava mane sputa eadem erant & æque copiosa ac die præcedenti; tussis tamen ægrum minus defatigabat: nulla hucusque in sudoribus

mutatio observabatur, nocturni enim erant æque copiosi, & subinde quoque per diem erumpebant; permanebant horripilationes & febricula.

Prima Novembris sputa mane ejecta magis alba, spissiora & minus copiosa erant; æger noctu bis purgatus fuerat, & minus sudaverat: diem sine horripilationibus transegit, & febricula vespertina lenis fuit.

Ab hoc tempore omnia sensim magis magisque in melius mutata sunt: perrexit lacte uti & decocto. N. 9. omissa tamen, quæ antea addita fuerat laud. liq. syd. dosi: tussis enim erat lenis & sputa facile prodibant, ac æger somno pacato per plures horas noctu, subinde quoque etiam diurno tempore reficiebatur.

Nona Novembris sudores tam nocturni quam diurni fere integre evanuerant; sputa erant pauca, bona: & respiratio libera; tussis rara; appetitus autem admodum erat paucus, & de debilitate ventriculi conquerebatur.

Licet omni die alvum coctam, mollem haberet, sumpsit rhei elect. dr. j. ut collecta forte in ventriculo materia eliminaretur: pluries inde purgatus est,

& dato vespere paregorico noctem tranquillam habuit.

Sequenti die denuo incœpit polygala uti, minorem autem lactis & decocti hordei copiam hauriendam accepit.

Sensim redivit appetitus; sudores & febris emanserunt, & sputa tussisque ita omni die minuta sunt, ut decima octava Novembris omnino disparuissent, & respiratio liberrima: perrexit tamen adhuc polygala uti: verum sub continuato illius usu vigesima quinta Novembris de magna siccitate & pectoris constrictione conquestus est, quæ per aliquot dies sumpto decoct. rad. salab. evanuerunt.

Mansit æger in nosocomio usque ad medium Decembris & discessit sanus.

CASUS QUARTUS.

FEMIMA 47. annorum, vigesima sexta Octobris ad nos venit, narravitque se ante sex menses magna febre cum siti, tussi & pectoris anxietate laborasse, a quo tempore tussi molesta semper affecta erat, sputa purulenta sæpe admodum difficilia reddebat, & sæpe ob nimiam tussis vehementiam ad vomitum coge-

batur : aiebatque se a novem mensibus sudoribus nocturnis copiosis diffluere : valde emaciata erat ; sputa erant tenuia, & febre continua febricula afficiebatur.

Medicamentis demulcentibus, paregoricis leniter expectorantibus & lacte cum decocto hordei usa est usque ad decimam Novembris, a quibus tussis facilior reddita est : febricula per diem minus sensibilis fuit, vespertino tempore sat magna, manebant noctes inquietæ, sudores nocturni, macies : & vires sensim magis collabebantur : unde decima septima Novembris ad decoct. N. 9. deveni : ægra lacte cum decocto hordei continuavit uti ; vespere ad somnum faciliorem conciliandum massæ pilul. de cygnocloss. gr. vj. quotidie ipsi exhibita fuerunt : diæta fuit ex hordeo, oriza, levibus farinaceis & oleraceis jusculo incoctis.

Hac methodo sensim ita mutata est, ut initio Decembris appetitus, antea admodum paucus, optimus foret ; tussis rara ; sputum bonum, paucum, facile prodeuns ; noctes sine paregorico tranquillæ ; sudores nocturni nulli, & vires multo meliores.

Polygala in hac femina in initio curæ

urinæ ſat magnam copiam pepulit, non tamen omni die æqualem, & alvus vix non omni die ſat bona ſeceſſit.

Circa medium Decembris ægra iiſdem continuans uti, ſputa admodum pauca habebat: de pectoris ſiccitate & conſtrictione conquerebatur, & tuſſis erat frequentior, dolorifica.

Abſtinuit tunc decocto polygalæ, & uſa eſt decocto rad. ſalab. cum laudano: continuavit lac cum decocto hordei mixtum potare.

Hac methodo omni modo brevi levatum eſt pectus: ſiccitas enim & conſtrictio vigeſima ſecunda Decembris evanuerant: minus frequenter & ſine dolore tuſſiebat, & ſputa paulo copioſiora, quam ante hujus decocti uſum, facile prodibant.

Dedi ipſi tunc linctum emollientem, & denuo ſumpſit ſolitam decocti polygalæ doſin: ſic continuavit uſque ad decimam tertiam Januarii anno 1761. de die in diem in melius mutabatur, ita ut decima Januarii cum jam per plures dies & ſputa & tuſſis emanſiſſent, polygalæ uſui ſuperſederimus. Nec ægra alio medicamento indiguit, cum vix in ulla functionum aliquid deeſſe videretur: ſupererat tamen macies & corpo-

ris debilitas, licet multo minor quam antea: poterat enim ſat diu per cubiculum ambulare.

Appetitu optimo gaudebat: hinc data ipſi decima octava Januarii rhei electi dr. j. decima nona ejuſdem menſis incœpit carnibus tenerioribus veſci.

Hac die adfuit in noſtro noſocomio doctiſſimus Dominus *Haſenohrl*, noſocomii Hiſpanici Phyſicus, cui hanc ægram oſtendi, modumque, quo hanc feminam & alios ægros curaveram, enarravi: miratus eſt bonum polygalæ effectum, & brevi poſt illam ſcripto laudavit.

Ægram in noſocomio retinui uſque ad vigeſimam Februarii, cujus temporis ſpatio bona diæta ita refecta eſt, ut robuſta, toroſa & ſaniſſima ad ſuos redierit, illam ab hoc tempore ſæpius vidi optime valentem.

Hujus curæ teſtis fuit magnificus *Storck*, qui ægram vidit, dum polygala incœpit uti, & examinavit antequam ex noſocomio diſcederet.

CASUS QUINTUS.

PUELLA 14. annorum, vigesima quinta Januarii anni 1761. ad nos venit. Hæc ante 13. menses peripneumonia laboraverat, a quo tempore tussis residua semper increverat, qua sputum purulentum difficile ejiciebatur: sputis autem ingens puris copia jam a tribus mensibus reddebatur & a tribus septimanis copiosis sudoribus nocturnis diffluebat ac valde emaciabatur: febricula fere continua aderat, vespere exacerbata, & tussis frequens, fere inanis, noctes admodum turbulentas reddebat.

Usa est decocto N. j. usque ad sextam Februarii; lac quoque cum decocto hordei ipsi datum est pro potu, & omni vespere unc. j. syrup. diacodii: verum inde non multum levata est.

Sexta Februarii incœpit quinquies per diem decoct. N. 9. unc. j. sumere. Dicta diacodii dosis omnis vespere ipsi dabatur: & continuavit lac cum decocto hordei potare.

Sensim respiratio liberior facta est: tussis rarior & lenior evasit, & sputorum copia ita minuta est, ut vix sextam par-

tem eorum, quæ antea ejiciebat, adæquarent; noctes pacatiores erant, & somno reficiebatur; bonum incipiebat habere appetitum; manebant tamen sudores nocturni & febricula vespertina.

In methodo medendi nihil mutavimus, & perrexerunt phthyseos symptomata sensim magis magisque minui, ac vigesima sexta Februarii incœpit ægra urinam copiosiorem mittere & alvum frequentiorem habere, eo cum levamine, ut sequenti nocte sudores multo pauciores fuerint, qui nocte quartæ diei Martii ad quintam ejusdem mensis diem penitus emanserunt & raro postea noctu sudavit: urina vero omni die sat copiosa prodiit.

Emanente sudore nocturno, sputa adhuc pauca, præcipue matutino tempore facile ejiciebantur: febricula vespertina sensim disparuit & decima Martii nulla amplius observabatur; vires ægræ increscebant; pectus liberum erat, & tussis tam matutino quam reliquo diei tempore fere integre silebat.

Decima quarta Martii polygala abstinuit, cesserant enim sputa & tussis, & tantum studuimus bona diæta vires reficere & corpus emaciatum nutrire.

Mansit apud nos usque ad initium Aprilis, quo tempore corpori carnes renascebantur; & vires ita auctæ erant, ut potuerit ad parentes redire, apud illos bonis alimentis carnes corporis deperditas sperans se citius resarcituram.

CASUS SEXTUS.

FEMINA 40. annorum, ante quatuor annos gravi peripneumonia laboraverat, a qua utcumque curata solitos labores denuo perficere potuerat: ab eo autem tempore sæpius pus modo majori, subinde minori quantitate sputis reddidit, & ab anno sudores nocturnos sæpius passa est, qui jam a sex hebdomadis, dum nosocomium secunda Februarii anni 1761. intravit, omni nocte illam valde debilitabant.

Dum illam curandam suscepi, colorem habebat cachecticum: corpus tamen adhuc aliquam torositatem servabat; frequenti tussi sputa copiosa ejiciebat tenuia, maxima parte subflava; febricula laborabat, quæ omni vespere exacerbabatur.

Statim primo diei incœpit decoct.

N. 9. uti, & vespere syr. diacod. unc. j. sumpsit: diæta similibus ægris conveniente usa est.

Per quatuor primos dies quibus hoc medicamentum assumpsit, continuavit copiosissimis sudoribus omni nocte dissfluere: urinam tamen, ut aiebat, majori copia mittere debebat quam antea: cœterum in reliquis nulla mutatio observabatur.

Nocte vero noni diei Februarii ad decimum, & decimi ad undecimum sudores penitus emanserunt; sputorum copia minuta est; tussis minus frequens fuit; respiratio liberior: urina tamen hisce diebus minus copiosa prodiit: verum alvus copiosa bis nychtemeri spatio deposita fuit: 14. 15. 16 & 17. hujus mensis die solito majorem urinæ copiam misit, & sudores continuarunt emanere: tussis & reliqua in eodem statu permansere.

In eadem medendi methodo continuavimus toto mense Februario ad septimam Martii usque, quo toto tempore tantum binis noctibus sudavit, & febricula vespertina lenis fuit ac fere integre disparuit.

Septima Martii sputa admodum pauca prodierunt; tussis quidem non erat fre-

quens; ſed magis anxia erat ægra, & tuſſiendo in variis pectoris partibus dolores conquerebatur: unde polygala abſtinuit & decocto N. 1. uſa eſt.

Uſum hujus decocti continuare debuimus uſque ad decimam octavam Martii, antequam pectus & reſpiratio libera eſſent, & a doloribus ſub tuſſi excitatis penitus immunis foret.

Sub hujus decocti uſu ſudores nocturnos aliquoties habuit, & ſputa paulo copioſiora prodierunt, ac veſperi dari debebat paregoricum, hoc enim neglecto nox inquieta, inſomnis ſequebatur.

Decima octava Martii denuo incœpit polygalæ decocto uti, quod ſine incommodo tulit: toto menſe Martio excreta fuere naturalia, appetitus, qui ſub uſu decocti N. 1. valde minutus fuerat, brevi optimus evaſit, & libentiſſime cibos ipſi oblatos aſſumpſit.

Initio Aprilis cum ſputa tantum pauca matutino tempore ejiceret, mediam ſolummodo doſin decocti polygalæ ſumpſit, & cum aliquam in pectore conſtrictionem conquereretur, ſimul uſa eſt decocto radicis ſalab. Sic continuavit per quindecim dies: quo tempore ſputa, tuſſis & conſtrictionis in pectore ſenſus ſenſim integre diſparuerunt:

ægra jam initio hujus mensis incœperat præter alia levia alimenta quibus ab initio curæ vescebatur, teneriores carnes comedere.

Color cachecticus disparuit, & brevi vires tantas recuperavit, ut sub finem Aprilis nosocomio potuerit sana egredi.

CASUS SEPTIMUS.

DUODECIMA Januarii 1762. ad nostrum nosocomium delata est vetula 63. annorum a pluribus mensibus valde difficili & anxia respiratione & tussicula inani affecta. Declinante Decembri anni 1761. arthritide corrupta fuerat quæ initio Februarii subito intumescente crure dextro disparuit, manente respiratione æque læsa ac ante: erat enim, dum ad nos delata est, difficilis, anxia, frequens; tussis subinde sat valida, inanis; febricula continua, vespere aucta; decubitus in latera impossibilis; appetitus nullus; sitis pauca; alvus & urina naturales.

Medicamentis emollientibus, aperientibus, pectoralibus, leniter diaphoreticis & paregoricis statim incœpit uti.

Tumor

Tumor cruris brevi diſparuit & vigeſima Januarii mane prægreſſa valida tuſſi magnam puris tenuis, flavi copiam incœpit ejicere, cujus quantitas veſpere lib. ß. ſuperabat: perrexit noctu multum tuſſire & ſimilia ſputa reddere.

Eadem medendi methodus uſque ad octavam Februarii continuata eſt. Lac cum appeteret, & reliqua alimenta nauſearet, dedimus ipſi quotidie lactis menſur. ß. cum anatica decocti hordei & rad. bardanæ, &c. parte.

Octava Februarii cum ſputa æque malæ notæ ac primis diebus & valde copioſa continuarent eſſe, incœpit decocto N. 9. uti, & perrexit lac cum hordei decocto haurire & veſpere paregoricum aſſumere.

Tertia die, qua hoc medicamento uſa eſt, incœperunt ſputa ſpiſſiora fieri, minus flava, facilia; tuſſis lenior; alimenta libentius aſſumpſit: ſomno tranquillo & protracto noctu incœpit refici; alvus & urina naturales erant.

Continuarunt omnia ſenſim in melius verti, & decima ſeptima Februarii tuſſi & ſputorum copia valde minutis paregorico non amplius indiguit, reſpiratio & pulſus erant naturales, decubitus in omnem partem liber.

Post vigesimam sextam Februarii vix amplius adfuit tussis, & tantum matutino tempore sputa aliqua optime notæ rejiciebantur, ægra incœpit subinde ex lecto surgere.

Quarta Martii & sputa tussis penitus cessarunt & maximam diei partem extra lectum transegit.

Postea sola diæta feminæ vires ita restauravit, ut initio Aprilis sana ad suos rediverit.

CASUS OCTAVUS.

JUVENIS 19 annorum, quarta Maii anni 1763. ad nos venit. Jam a novem mensibus tussi afficiebatur frequenti, qua in initio pauca sputa valde difficile ejiciebat, aiebat autem a decem diebus sputa copiosa sat facile, excerni, quæ examinata vere purulenta deprehendebantur; a tribus hebdomadis sudores nocturnos habebat; omni vespere febricitabat & multum emaciebatur.

Data sunt ipsi medicamenta pectoralia & expectorantia, ac simul lac cum potu ordinario hauriendum; inde sputa facilia reddebantur.

Sputis autem & sudoribus copiosis val-

de debilitabatur, nec febricula hectica inde minuebatur; unde decima quinta Maii datum est ipsi decoct. N. 9. & continuavit lacte uti.

Hoc modo effectum est, ut intra sex dies respiratio facilior fuerit, sputa pauciora, tussis minus frequens, & sudores omnino emanserint, febricula quoque hectica minuebatur; in hoc tamen ægro diuresin a polygala moveri non observavi, & alvus mansit naturalis.

Sensim omnia in melius mutata sunt, & initio Junii tantum pauca sputa matutino tempore optimæ notæ facili tussi reddidit.

Sumpsit tunc tantum mediam decocti polygalæ dosin & aptis alimentis nutritus est.

Hac methodo brevi cessaverunt sputa & tussis, & vires bonas tam cito acquisivit, ut initio Julii potuerit dimitti sanus.

CASUS NONUS.

FEMINA 40. annos nata, vigesima Maii anni 1763. ad nostrum nosocomium delata est, trigesima quinta die postquam pleuropneumonia correpta fuisset, quæ

in ſuppurationem poſt undecimum morbi diem, abivit, 15. morbi die incœpit ſputa purulenta tuſſi ejicere, & paucis diebus elapſis incœpit ſudoribus nocturnis diffluere, qui adhucdum continuant.

Pus album bonum ſputis reddit copioſum, reſpiratio eſt brevis, celeris, frequens, febris multa, veſpere exacerbata; appetitus nullus, ſitis ſat magna, tuſſis frequens, urina rubra, alvus laxa, ſemel bis de die ſecedens; habitus corporis emaciati & multum debilitati pallidus, decubitus ſemierectus.

Per quinque dies emollientia expectorantia ſumpſit, & inde reſpiratio utcumque levata eſt, verum copioſis ſudoribus nocturnis diffluebat ægra, & incœperunt ſputa, quæ copioſiſſima prodibant, tenuiora fieri, quare ad polygalam confugi.

Vigeſima quinta Maii incœpit decocto N. 9. uti, ac ſimul menſuram mediam lactis cum anatica decocti hordei radic. bardanæ &c. parte quotidie hauriendam habuit, & ubi tuſſis nimis defatigans erat, ſyrupo diacodii leniebatur.

Per octo dies hoc medicamento uſa eſt ſine ſenſibili in melius mutatione,

licet urinam solito copiosiorem mitteret: tussis enim, sputa, sudores, febris eadem erant, subinde tamen somno tranquilliori reficiebatur.

Nocte vero primæ Junii ad secundam ejusdem mensis diem multo minus sudavit, & copiosiorem urinam misit.

Sudores cito minuti sunt, minuta est febricula vespertina: sexta Junii penitus emanserunt sudores, & febris admodum lenis evasit.

Tussis erat tunc minus frequens, facilis & sputa bonæ consistentiæ multo pauciori quantitate reddebantur, appetitus quoque melior erat, & alvus ligata, urina naturalis.

Decima quarta Junii vix tussivit, pulsus tota die naturalis permansit.

Decima quinta tantum pauca sputa mane ejecit.

Solam tunc mediam dosin decocti N. 9. sumpsit, & vigesima quinta Junii penitus ab illo abstinuit.

Hæc femina brevi vires recuperavit, & circa finem Julii ex nosocomio exivit.

CASUS DECIMUS.

PUELLA 23. annos nata, laxi temperamenti, cui menstrua & tempore & copia semper fuere irregularia, toto mense Februario anni 1764. anxia fuit, dolores pectoris urentes fere continuos patiens, frequenti affecta est tussi, in initio sicca, dein sub finem Februarii humida, qua glutinosa pure mixta cum magna difficultate incœperunt excerni, appetitus toto hoc tempore languidus, sitis multa, & circa vesperas & de nocte multum calebat, post mediam noctem modo plus, modo minus sudans.

Decima Martii ad nos delata est.

Medicamentis aperitivis, emollientibus, paregoricis usque ad septimam Aprilis usa est, inde respiratio vix emendata est; sputa valde copiosa, tenuia, purulenta, flavescentia tussi valida & frequenti ejiciebat, febris hectica corpus continuabat depasci, & omni nocte sudoribus diffluebat, unde valde debilitabatur, & macies de die in diem magnos progressus faciebat.

Septima Aprilis decoctum polygalæ ipsi præscripsi, & lacte cum decocto

hordei, quod jam a 15. diebus sumebat, continuavit uti, vespere paregorico.

Decima septima Aprilis noctem absque sudore transegit, sputa erant alba, spissiora æque tamen copiosa ac ante, & tussis frequens, sæpe valde vehemens interdiu ægram valde defatigabat, sitis tamen erat minor, & febris notabiliter remiserat, urinæ excretio ab incœpto polygalæ usu copiosior, quam ante.

Præter decoctum polygalæ ægræ decoctum salab. cum laudano præscripsi, ut ter de die vasculum sumeret.

Inde tussis statim prima die mitior, minus frequens facta est, & sputa bonæ notæ facile excreta sunt.

Posthac sputa sensim minuta sunt; tussis sensim rarior evasit, & 25. Aprilis omnis febris etiam vespertinæ expertem ægram inveni.

Præfatis medicamentis usa est usque ad decimam Maii, qua missa illa fecimus, sputis cessantibus, tussicula valde rara, respiratione liberrima & omnibus functionibus sat bonis, lactis tamen usus continuatus est.

Decima nona Maii tussis videbatur recrudescere velle, licet quoad reliqua optime haberet ægra, quare datum est

illi decoctum emolliens & syrupus diacodii pro linctu.

Hæc continuata sunt usque ad 24. Maii, qua tussis integre cessaverat, postea omni medicamento abstinuit, & quinta Junii perfecte curata ex nosocomio exivit.

CASUS UNDECIMUS.

PUELLA viginti trium annorum, cui menstrua nunquam debite fluxerant, & initio anni 1763. penitus emanserant, 24. Februarii anni 1764. ad nos delata est.

Ab anno tussi frequenti, subinde sat valida, ut plurimum sicca, pectoris dolorifica constrictione sub tussi aucta vexabatur, sanguinei temperamenti puella valde emaciata erat, debilis, respiratio accelerata, anxia, pulsus omni vespere febrilis, & sæpe noctu sudavit; somnus erat sat protractus, debilitans, appetitus nullus; urina pauca, rubra, sedimen lateritium deponens; sputa, quæ laboriosa tussi ejiciebantur, purulenta erant, pauco glutine tenaci mixta.

Pro medicamento datum est illi decoctum rad. salab. cujus quater de die

unc. iij. sumpsit, & infusum ex herbis pectoralibus aliquoties in die tepide potandum.

His per decem dies continuatis, tussis mitior, facilior facta est, & sputa purulenta, copiosa incœperunt excerni; urina naturalis evasit.

Decima septima Martii cum & pectoris dolorifica constrictio cessasset, respiratio sat bona, facilis esset, & sputa copiosa, purulenta, subflava sat facile excernerentur, sudores autem nocturni valde copiosi essent, & febricula vespertina ægram continuaret, ut ante, invadere, decoctum polygalæ ipsi dedi, & pro linctu syrupum diacodii.

Omnia ita sensim in melius mutata sunt, ut trigesima prima Martii tussi multo rariori & faciliori quam ante, vix mediam priorum sputorum partem ejiceret; hæc quæ optimæ notæ erant, respiratio libera, febris vespertina solito minor, nocturni sudores multo pauciores, urinæ tamen copia non videbatur major, quam ante, animus ægræ erectus, alacris erat, & appetitus renascebatur.

Sic continuantes ad tertiam Maii usque omnibus functionibus sensim in melius mutatis, sputa integre cessarunt,

superstite modica tussi, quare usui polygalæ supersedimus, & illius loco ægra rad. salab. decocto usa est, & cum lac non amaret, aliis aptis alimentis ægram debite nutrire conati fuimus.

Vigesima nona Maii ab omni medicamento abstinuit ægra, & 12. Junii sana ad suos rediit.

CASUS DUODECIMUS.

PUELLAM 32. annos natam, prima Octobris anni 1764. in nosocomium suscepi.

Hæc alias semper satis sana mense Julio post validos labores valde calefacto corpori frigidam multam ingesserat, ut ingentem, quam patiebatur sitim sedaret, eadem die adhuc catharro, ut aiebat, valido correpta est, & licet ipsi venæ sectio suaderetur, illam neglexit, solo infuso quodam utens.

Tussis sicca, frequenti, valida per tres septimanas laboravit, dein incœpit copiosum pus, sincerum, ut ex relatione ipsius colligere potui, sat facile expectorare; tussis tunc facta est facilior, & pectoris dolores ac anxietas,

quæ antea aderant, cessarunt; quare ægra se jam in vado esse credens nihil amplius adhibuit.

Continuante copiosa sputorum evacuatione sensim valde debilitata est; munere suo fungi non amplius potuit & demum ad nos delata fuit.

Robustæ antea puellæ carnes erant flaccidæ: color cachecticus, flavo viridis, puris subflavi sat bonæ consistentiæ. Nichtemeri spatio unc. iv. v. tussi sat facili expectorabat; pulsus interdiu mollis ad flaccidum accedens, apyretos, vespere febrilis; respiratio sat libera, tantum circa matutinum tempus stertorosa fiebat, menstrua regularia & reliquæ functiones sat bonæ.

Statim incœpit decocto polygalæ uti, urina solito copiosior excreta est, & sexta Octobris color & consistentia sputorum optima erant, videbanturque copia minui.

Decima quinta Octobris febris vespertina sensim antea minuta penitus emansit, color cachecticus in lætiorem mutabatur, carnes erant minus flaccidæ & sputa duabus tertiis partibus minuta erant.

Octava Novembris nihil de præterito morbo supererat, optime valebat, hinc

a medicamento abstinuit & 13. ad sua munia redivit.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Sutor 20. annorum, tussi sicca & sæpe recurrentibus pectoris urentibus doloribus a pluribus mensibus affectus, initio Julii anni 1765. incœpit sæpius per diem horripilari, copiose expectorare, noctu multum sudare.

His non obstantibus opificio suo incubuit ad finem Augusti, tunc vero præ debilitate laborare amplius non potuit, & sexta Septembris ad nos delatus est.

Valde emaciatus erat, febricula aderat continua, vespere exacerbata, respiratio anxia, noctu sudoribus diffluebat, tussi frequenti pus copiosum flavum tenue ejiciebat, reliquæ functiones utcumque bonæ.

Datum est illi decoct. polygalæ; urina jam prima die copia solito majori excreta est, & quarta ab usu medicamenti die sputa jam minus copiosa, minus flava & magis spissa erant, ac respiratio multo liberior.

Tam celeris fuit in hoc medicamenti

effectus, ut quatuordecim dierum spatio fugata fuerint omnia phthyseos symptomata.

Sub usu medicamenti vires redierunt, & initio Octobris sanus dimissus est.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

VIR 65. annorum, a multis annis tussi vexatus, qua subinde pauca sputa glutinosa excernebat, mense Martii anni 1765. incœpit tussi vehementi & fere continua dolorifica vexari, & paulo post multum expectorare.

Ad nos delatus est decima Julii.

Vehementissima tussi sputorum purulentorum, flavorum, tenuium ultra lib. ß. quotidie excernebat; respiratio erat anxia, dolens: reliquæ functiones non multum labefactatæ.

Medicamentis pectoralibus paregoricis usque ad 25. Julii usus est: nulla autem in melius mutatio facta est, imo incœpit vespere febricitare & noctu sudare.

Missis reliquis decoctum polygalæ ipsi dedimus, & subinde haustum paregoricum.

Sic tussis brevi lenior evasit, & sputa

alba, spissa, sensimque parciora cum facilitate excreta sunt; emanserunt febris & sudores nocturni.

Polygala perrexit uti usque ad 16. Septembris, qua cum morbus penitus sublatus esset, ab omni medicamento abstinuit, & 12. Octobris sanus & robustus ex nosocomio dimissus est.

CASUS DECIMUS QUINTUS.

FEMINA 40. annos nata, temperamenti laxi, sanguinei, cui jam a biennio menstrua irregularia erant, mense Augusti anni 1765. postquam per plures septimanas difficili respirio & tussicula sicca laboraverat, incœpit omni nocte copiosissime sudare; sputa purulenta, tenuia, variegata valida tussi ejicere, & respiratio ita anxia facta est ut ob metum suffocationis diu noctuque in lecto sedere cogeretur: demum expensis, quibus morbus illam exposuerat, ulterius sustinendis impar facta, 14. Martii 1766. ad nos fere moribunda delata est.

Præter prius enarrata symptomata, febri sat magna, continua, vespere aucta afficiebatur: jam a pluribus septimanis paucam urinam valde saturatam,

biliosam, urentem mittebat; valde emaciata erat; sitis multa; appetitus nullus; alvus tamen naturalis; somnus vix ullus.

Decima quinta Martii incœpit decocto rad. poligalæ uti, & decima octava urina coloris fere naturalis absque ardore sat copiosa incœpit excerni; sputa erant faciliora, copiosiora, minus tenuia; respiratio multo facilior; febris minor.

Vigesima secunda Martii magna sudoris nocturni imminutio; sputorum sat bonæ notæ magna & facilis excretio; ægra jam in dorsum & in latus sinistrum decumbere potest.

Vigesima nona Martii decubitus in omnem partem liberrimus; respiratio naturalis; febris omnis disparuit; cessarunt sudores nocturni; sputa omni nota bona facili tussi, sensim minori copia educuntur.

Perrexit medicamento uti ad 21. Aprilis, qua cum ægra perfecte curata esset, ab illo abstinuimus, & femina initio Maii sanissima discessit.

POTUISSEM de polygala multo plures felices casus referre; sed cum omnes jam relatis analogi fuerint, & nihil novi exhibuerint, nolui repetitionibus volumen augere.

Patet ex observationibus his radicem polygalæ amaræ medicamentum esse balsamicum detergens, consolidans, roborans & simul demulcens, inter illa, quæ contra phthysin pulmonalem laudantur, facile princeps.

Equidem multum abest, ut curet omnes, curat tamen multos & etiam multis incurabilibus prodest: inveni in cadaveribus illorum qui illam ferre non potuerant, pulmonum indurationes, scyrrhositates, vel pulmones valde consumptos, circumquaque fortiter accretos: hepar, pancreas, subinde mesenterii glandulas obstructa, indurata.

In his casibus vidi cicutam cum emollientibus & minori polygalæ dosi exhibitam bonos effectus præstitisse.

Subinde dum solida nimis tensa, irritata sunt, emollientia, paregorica præmittenda, ut polygalam ferre possint ægri: subinde etiam, dum sub usu polygalæ pulmonum ulcera pro parte,

vel integre cicatrisata sunt, tussis antea sopita recrudescit: oritur constrictionis in pectore sensus; tunc pariter paregorica, emollientia necessaria sunt, quæ tensa relaxant; acrimoniam forte irritantem demulcent & simul bonum phthysicis valde necessarium suppeditant nutrimentum. Pacatis hoc modo turbis si sputa purulenta continuent, vel quasi suppressa redeant, polygala iterum secure adhibetur.

Absque his cautelis vel nihil efficitur, vel ægris fere æque nocetur, ac dum cortice peruviano obruuntur, quando viscera nimis tensa, irritata & obstructa sunt.

Licet in notatis modo ægrorum historiis polygalam in decocto ad unc. ij. per diem exhibuerim, sæpe, præcipue in praxi urbana, minori dosi cum effectu exhibui.

Quamvis tamen primo aspectu magna videatur dosis, attentius examinanti patebit non esse tantam; radix enim quasi lignea est, & vix aliquid medicamentosi continet: cortex vero virtute dives ab aliquot radicis unciis detractus & exsiccatus non adeo magnum pondus æquat.

Dum cura feliciter procedit, immi-

nutionem sudorum plerumque comitatur major diuresis. An id effectus est virium medicamenti roborantium & leniter diureticarum, quo poris relaxatis debitum robur restituitur, & liquida per cutim evacuari solita ad vias urinarias simul determinantur?

Certe sudores sæpe minuuntur, dum sputa eadem copia ac ante excernuntur, & antequam de incœpta ulceris pulmonum cicatrisatione cogitari possit.

Neque ego observationem celeberrimorum virorum, qui hydropem polygala curatum viderunt, minime in dubium revoco, licet mihi in hoc morbo eundem effectum non præstiterit.

Morbi enim hujus natura valde implicata est: neque uno eodemque medicamento etiam optimo in omnibus subjectis curari potest.

Pleuritide inflammatoria affectis exhibita polygala augendo symptomata nocet: prodest autem dum in suppurationem abivit pleuritis, adhibitis cautelis prius memoratis.

Hæc planta veteribus jam nota, descripta & adumbrata fuit: cujus vulgaris fat bonam iconem depictam habet Hieronymus *Tragus*, T. I. pag. 455. *Lobelius*, ic. pag. 416. & 417. *Dodon.* Flos

ambarualis. Pemt. 2. pag. 253. Inter recentiores vero & vulgaris & amaræ polygalæ nitidiorem habet iconem *Vaillant*, bot. par. t. 32. f. j. 2. Verum illorum vix non omnium definitiones mancæ & minus ſinceræ deprehenduntur : quare opere pretium eſſe duxi curatiorem fuſioremque ejus exhibere deſcriptionem, ne inter collectores, ut fieri ſolet, lites moveantur.

Ad hoc rite præſtandum celebris Jacobi *Well*, diligentiſſimi ad urſum nigrum Pharmacopæi, doctiſſimi certe Chimici & expertiſſimi Botanici opera uſus ſum.

Antequam autem hæc planta definiatur, adnotare oportet quod celeberrimus Linnæus in ſyſtematis naturæ, editione duodecima reformata, viginti quatuor ſpecies polygalæ recenſeat, quas in quatuor ſectiones digeſſit. Noſtra in prima ſectione aut faſciculo criſtatarum flore appendice penicilliformi deprehenditur, & eſt *Polygala amara* floribus criſtatis racemoſis, caulibus erectiuſculis, foliis radicalibus obovatis majoribus. *Linn.* & *Jacquin.* polygala procumbens ; foliis imis ſubrotundis, ſuperioribus linearibus. *Hall.* hiſt. n. 343.

Polygala alia foliolis circa radicem

rotundioribus, flore cæruleo, ſapore admodum amaro. *Bauh.* pin. 215.

Polygalæ amaræ habitus vix non idem eſt ac *Polygalæ vulgaris*: folia tamen radicalia illius ſunt ampliora; magis craſſa, obovata ac obtuſa: caules numeroſiſſimi ad 30. & plures interdum, magiſque declinati aut procumbentes, & ſolus ſapor polygalæ noſtræ amaræ magnam eſſe differentiam inter hanc & vulgarem convincere quemlibet poteſt, & impedire ne promiſcue adhibeatur: vulgaris enim polygala, excepta radice vix ſapida eſt; prioris vero & caulis & folia adeo amara ſunt, ut unicum leviter maſticatum foliolum totam linguam ſummo amarore afficiat, qui non niſi ſenſim & poſt longam moram evaneſcit, ex qua ratione forte cum polygala americana, *Senega* dicta, virtute convenire poteſt.

Sequitur fuſior polygalæ amaræ
Deſcriptio ſecundum omnes ſuas
partes.

Radix ejus eſt perennis, fibroſoramoſa, ligneſcens, ad caulium eruptionem craſſiuſcula, cæterum gracilis, extus coloris ex gilvo cineraſcentis, intus albidi; ſaporis balſamici ex amariuſculo ſubdulcis & grati.

Hæc caules promit plures, ſimplices, graciles, plus minus dodrantales, procumbentes partimque ſurrectos.

Folia circum caules alternatim aut ſine ordine poſita ſunt linearia, ſeſſilia: radicalia vero rotundata, numeroſa, & in ceſpitem quaſi collecta, quæ ob ſaporem ſimul intenſe amarum hanc ſpeciem a vulgari facile diſtingunt.

Flores cærulei, aut purpuraſcentes, etiam albicantes interdum, brevibus pedunculis inhærentes, inque racemum ſimplicem diſpoſiti caulium cacumina ornant; quorum

Calix pentaphyllus tria gerit foliola, unicum inferne ac duo ſuperne poſita parvula, ex cæruleo virentia: alia duo lateribus adſtant ovata, prioribus longe majora, patula, petalorum colore donata, qui tamen color poſt defloreſcentiam in pallide virentem abit.

Corolla monopetala, ſubtubuloſa, ſuperius ad baſin uſque fiſſa, fiſſuræ latere altero alteri incumbente, duo fauce mentitur labia: labio ſuperiore bipartito, inferiore fimbriato.

Stamina communiter octo, connexa antheras gerentes liberas intra corollæ tubum latitant.

Stylus ſtaminibus cinctus adeſt unicus apice bifidus.

Hunc ſequitur capſula ſubcordiformis, compreſſa, margine membranacea, pendula foliolis calycis majoribus lateralibus tecta.

Semina quælibet capſula recondit communiter bina, ſolitaria, ſubovata, parva.

Hujus plantæ nomen derivatur a græco πολυ multum & γαλα lac, quaſi lac augens.

Creſcit paſſim in ſubalpinis & montoſis, floret æſtate. Vulgaris vero ubique in pratis, nemoribus & ſylvis viget.

Præter polygalam ante aliquot annos aliud hic contra phthyſin innotuit medicamentum lichen nempe Iſlandicus.

Vidi pluribus prodeſſe hujus infuſum, & optime ſubinde polygalæ ſociatur.

FORMULÆ.

N. j. ℞. Rad. ſaleb. dr. j. ß.
Caq. c. aq. pur. q. ſ. p. ½ hor.
Colat. lib. j. adde
Syr. diacod. unc. j. ß.
M.
S. omni trihorio unc. ij. vel. unc. iij.

ſumat, pro ratione gravitatis ſympto-
matum leniendorum.

N. 2. ℞. Folior. ſenn. dr. vj.
Herb. mercurial. m. j. ß.
Coq. c. aq. q. ſ. p. $\frac{1}{4}$ hor. vaſe
Clauſo colat. lib. j. ß. adde
Mell. pur. unc. ij.
M.
S. omni trihorio unc. iij.

N. 3. ℞. Conſerv. cochlear.
Oxymell. colchic.
aa. unc. j.
Limat mart. o. rubigin.
ſcr. ß.
M.
S. intra biduum abſumat.

N. 4. ℞. Cort. peruv. unc. j.
Syr. flor. chamom. unc. ij.
Vin. bon. auſtriac. unc. j.
Aq. flor. ſambuc. unc. xv.
M.
S. intra biduum abſumat.

N. 5. ℞. Herb. abſynth.
Eupator cannabin.
aa. unc. j.
Conſciſſ. inf. vin. bon. auſtriac. lib. iij.
per bihorium colatura detur uſui
intra biduum abſumenda.

N. 6. Folior. alexandr. dr. v.
Cortic. citri dr. ß.

Sal. polychr. dr. j. ß.
Mann. unc. j. ß.
Inf. c. aq. fervid. q. s. p. $\frac{1}{2}$ hor. vase clauso. colat. unc. iv. d. pro dosi.

N. 7. ℞. Folior. salv. m. ij.
Inf. c. aq. fervid. q. s. p. $\frac{1}{2}$ hor.
Vase clauso colat. lib. j. ß. adde
Syr. salviæ. unc. ij.
M.
S. intra biduum mane & vespere absumat.

N. 8. ℞. Aq. fœnicul.
— Petroselin.
— Juniper. aa. unc. iv.
Syr. baccar. Juniper.
— Fœnicul. aa. unc. j.
Spir. cochlear.
— Nitri dulc. aa. dr. j. ß.
Rob. Juniper. unc. j.
M.
S. intra biduum absumatur.

N. 9. ℞. Rad. polygal. unc. iij.
Conscisſ. coq. c. aq. lib. iij.
Ad remanent. lib. j. ß.
Cui adde
Syr. hyssop.
— Diacod. aa. unc. j.
M.
S. intra biduum partitis dosibus absumat.

HENR. JOSEPH. COLLIN,

Nosocomii Pazmanniani Physici Ordinarii, & Sacræ Cæsareo-Reg. Apost. Majest. Regim. infer. Austr. Consiliarii

CAMPHORÆ VIRES,

SIVE

OBSERVATIONUM CIRCA *MORBOS ACUTOS* ET CHRONICOS FACTARUM.

PARS TERTIA.

VIRO

PERILLUSTRI, MAGNIFICO

AC

CLARISSIMO

ANTONIO STORCK,

AUGUSTISS. IMPERATORIS & IMPERATRICIS, a Consiliis, Archiatrorum Comiti, Studii Medici Cæsareo-Reg. Præsidi & Directori, Nosocomii Pazmanniani Physico, plurium Academiarum Membro, &c. &c.

Has suas observationes, seque totum dicat.

H. J. COLLIN.

PRÆFATIO.

Huic Opusculo occasionem dedit effectuum medicamentorum in variis morbis exhibitionem sequentium diligens & a præjudiciis libera observatio, cujus eximia exempla in pie defuncto illustrissimo L. B. Gerardo van Swieten, & Perillustri ac Magnifico Storck, semper ob oculos habui: hunc enim non modo Ægris Nosocomii medicinam facientem secutus sum, sed & ad suos in Civitate Ægros eum

comitari mihi licuit: Illuſtriſſimus autem pie defunctus Præſes ad mortem uſque ſeverum & indefeſſum obſervatorem egit; me ad obſervandum ſtimulavit, gratiamque mihi fecit meos Ægros, vel difficillimis vel incurabilibus habitis morbis laborantes ſaltem omni menſe, ſubinde etiam ſæpius, per undecim annos inviſendi meque in gravibus caſibus titubantem ſapientibus conſiliis erigendi firmandique. Ubi meam ex obſervatione fluentem de Camphora ſententiam illi aperui Ægroſque quos illa curabam oſtendi: norunt multi Medici, qui Noſocomium frequentarunt, quanta cum bonitate omnibus prius magna cum patientia examinatis, ſuam mihi ſententiam dixerit! & quantum me ſæpe, de felici curarum ſucceſſu gaudens

& humaniſſime gratulans, reverenti pudore ſuffuderit!

Multa ab anno 1762. cum practicis de Camphora Ægris exhibenda regulis & relatis ipſius effectibus minime convenientia in meos uſus notaveram. Verno autem tempore anni 1770, dum incipiens febris putrida petechialis adhuc ſporadica erat, & pleroſque libithina ad ſe rapiebat: aliquot hominibus morti jam traditis meæ de Camphora ſæpe repetitæ obſervationi innixus, illam larga manu exhibui, eoſque miraculi inſtar ex orci faucibus eripui; ſtatui tunc de Camphora obſervationes majori cum exactitudine, non obſtante magno Ægrorum, quo incipiebam obrui, numero, ſcribere; ſelegique, ut plurimum, caſus, in quibus illius effectus

magis oculis paterent, ut in obſcurioribus de illius viribus & ſecuro uſu melius poſſet ferri judicium. Hunc laborem boni conſule, benevole Lector, & vale.

CAMPHORÆ VIRES.

CASUS PRIMUS.

MURARIUS 35. circiter annos natus, 9 Junii 1770. ad nos defertur, a semi-anno opisthotono affectus, & toto hoc tempore lecto affixus, immobilis, sat libero functionum naturalium usu gaudens.

Ante tres annos eodem morbo per plures menses occupatus balneis Badensibus, quæ hoc anno ipsi nullum levamen attulerunt, curatus fuerat.

Tota vita sua ante hunc morbum, vix unquam æger, sæpe tempore pluvioso & frigido calci parandæ & aliis in libero aere perficiendis incubuit.

Pulsus erat tremulus, formicans, & 82. pulsationes intra horæ minutum cum modica arteriæ tensione absolvit; respi-

ratio ob retrotractum caput, collum &c. & incurvatam dorsi spinam, per intervalla laboriosa, naturali tamen vix frequentior aut celerior, sitis multa datur ipsi medicam N. 1. id est dr. ß. camphor. per diem.

Hoc medicamentum optime fert, & 12. Junii arteria intra minutum tantum 72. vel 73. pulsat; mollis est pulsus, liber collapsus, neque tremulus, neque formicans amplius. Calor ad sensum valde minutus, sitis disparuit, subinde per horam unam, duasve præcipue noctu æqualiter sudat, & colli spinæque dorsi dolores inde minui ipsi videntur, somnus hac nocte optimus, quo gavisus fuerit a semi-anno.

Camphoræ dr. j. quotidie absumit usque ad 22. Junii, calor fuit toto hoc tempore minor; cutis mollis, perspirans, sudor nullus & pulsus 8. 10. 12. pulsationibus minus creber, liberior, magis dilatatus fuit, quam ante camphoræ usum; cum autem licet spinæ dorsi dolores remisissent, opisthonus maneret immutatus, aliam curandi viam inivi, & æger sub finem Julii sanus ad labores redivit.

CASUS SECUNDUS.

RHEDARIUS quadraginta aliquot annos natus, robuſtus, proceræ ſtaturæ vir, ſub finem Decembris anno 1769. coxa ſiniſtra incœpit valde dolere; ut nonniſi bachulo adjutus poſtea potuerit incedere. Varia in & externe incaſſum adhibita fuere remedia; ultimo autem circa initium Maii anni 1770. unguento carminativo locum dolentum incœpit inungere: 15. ejuſdem menſis dolor coxam reliquit, vertebras lumborum & os ſacrum tanta cum vehementia occupavit, ut in artubus inferioribus omnis ſenſus & motus perierit; 18. ejuſdem menſis ad nos delatus eſt.

Functiones naturales ſat integræ; reſpiratio libera; pulſus vix febrilis, ſat plenus, valde mollis, debilis.

Varia ſecundum indicationem in & externe applicuimus medicamenta abſque effectu.

9. Junii continuant dolor & reliqua mala ægrum cruciare, magnam debilitatem, nauſeam, capitis gravitatem doloremque & ſitim conqueritur, reſpiratio eſt anxia, pulſus febrilis, ſed de-

bilis, mollis, oculi triſtes; facies ſordida, lurida. Præſcribitur ipecacuanh. dr. ß. cum tartari emetici gr. j. vomitu ſexies repetito cibos indigeſtos, & multum glutinis varie colorati reddidit. Aliquoties purgatus eſt, unde anxietas viſa eſt minor. Poſthac mixtura vinoſa utitur; poſt emeticum leniter fere continuo ſudat.

10. 11. Nihil novi accidit.

12. Hinc inde macula petechialis rubra apparet; arteria tenſa, dilatata vix aliquid præter aerem continere videtur, & circiter 78. intra minutum cum debilitate digitum ferit, alvus & urina naturalis, cutis continuo leniter madet, lingua ſicca, fuſceſcens, reliqua ut ante.

Datur ægro camphoræ dr. j. per diem, juſcula tenuia, & potus theiformis tepidus.

13. Camphoram optime fert, cœterum nihil novi.

14. Arteria libera; pulſus ſolideſcit, & tantum 75. pulſationes intra horæ minutum habet; anxietas multum minuta, capitis dolor multum remiſit; oculi & faciei cutis nitidiores; lingua ut ante, ſudor lenis continuat, petechiis variæ figuræ & magnitudinis rubris, fuſceſ-

centibus totum corpus, excepta facie, obsitum est, sitis nulla, alvus a biduo clausa; urina saturata, obscuri valde coloris, cum enæoremate multo suspenso, reliqua ut ante.

Nihil in methodo medendi mutatur, alvus 15. sponte secedit cocta, mollis, subfusca.

Res ægri continuant sensim in melius vergere. Lingua depuratur, omnes functiones sensim ad statum naturalem appropinquant, & 22. Junii petechiis fere omnibus flaventibus dolor in lumborum vertebris & osse sacro multum remisit, in artus inferiores redivit sensus, & utrumque in lecto parum movere potest.

Continuat magna cum euphoria suam camphoræ dragmam quotidie absumere, raro amplius sudat.

7. Julii vix de doloribus aliquid superest, libere solus absque baculo incedit, omnes functiones bonæ, & pulsus tantum 74. pulsationes intra horæ minutum habet. Continuat eandem medicamenti dosin sumere.

12. Julii missus sit camphoræ usus & 14. ejusdem sanus discedit.

CASUS TERTIUS.

FEMINA 48. annorum, per 20. annos maritata ſterilis manſit; catamenia ſemper pauca & irregularia habuit, quæ jam a tribus annis penitus emanſere, febribus intermittentibus & eryſipelati crura præcipue invadenti doloribuſque articulorum, pedum, & genuum per crura propagatis valde obnoxia, ſub finem anni 1769. doloribus vehementibus in oſſe ſacro & ultimis lumborum vertebris corripitur, qui ad coxam ſiniſtram, inde vero exterius per femur ad apices uſque digitorum pedis valde urentes & lancinantes extendebantur, ægramque maxima temporis parte lecto affixam tenebant. Crus & femur quaſi glacie involuta frigore, ſtupore affecta erant, & videbatur ipſi ſura ſæpius dilacerari.

Circa medium Maium anni 1770. e lecto nullo modo amplius ſurgere potuit, imo nonniſi cum ſumma dolorum exacerbatione corpus in lecto parum movere poterat, ſic continuavit affici uſque ad 18. Junii, qua ad nos deferebatur.

Ægram examinans inveni illam iſ-

chiade nervosa, tam docte & perite a celeb. Cotunno descripta & elucidata affectam; alvus erat tarda, præ doloribus sæpius sudabat; sitis nulla, lingua humida, alba; appetitus bonus, toto capite frequenter dolet, somnus paucus, noctu ab auctis doloribus impeditus, respiratio naturali paulo crebrior, celerior; pulsus mollis, parvus, debilis, flaccescens, tantum 50. pulsationes intra minutum habet.

19. Junii lene purgans sumit, unde quinquies purgatur 20. datur ipsi camphoræ dr. ß. in mucilaginæ gummi arabici syr. edulcorata, quotidie absumenda.

Hanc dosin per sex dies absque notabili mutatione sumit, & optime fert.

25. Camphoræ dr. j. incœpit sumere vide formul. N. 2.

26. Gratissimum post sumptum medicamentum, quod quadripartita dosi ipsi porrigitur, laudat refrigerium, quod sequitur lenis sudor per totum corpus, per mediam horam, subin diutius, durans; pulsus magis dilatatus, liberior, 58. pulsationes intra minutum primum habet.

27. Datur ipsi quadripartita dosi camphoræ dr. j. ß. vide N. 3. pulsus habet

61. pulſationes intra minutum reliqua ut ante.

28. Fere tota nocte leniter ſudavit, & adhuc continuat; dolores multum remiſere, per intervalla dormivit, reſpiratio naturalis, pulſus liber, mollis ſolideſcit, & tantum 50. pulſationes intra horæ minutum habet.

30. Junii dolores valde minuuntur, & jam aliquoties hodie ſe ſola in latus ſiniſtrum vertit, & in illud per aliquot tempus decubuit.

3. Julii ſola e lecto ſurrexit, & aliquoties per cubiculum deambulavit, in lecto ſe erigit & facile ſedet, in latus affectum fere æque facile ac in aliud decumbit; loco dolorum ſenſum decurrentium formicarum ab oſſe ſacro ad digitos pedis uſque percipit: continuat ſæpius leniter ſudare, arteria mollis, libera, dilatata, 54. vicibus intra horæ minutum pulſat.

Datur ipſi quater de die dr. ß. camphoræ, quam optime fert, vide N. 4.

5. Julii pulſus ut nudius tertius, circiter vigeſies ab una parte cubiculi ad aliam libere inceſſit, ſomnus optimus, alvus, enemate ſollicitata, colore & conſiſtentia bona, urina ſtraminea, tenuis, cum nubecula fundum petente, vix

amplius ſudat, ſitis nulla, calor ad tactum & ſenſum ægræ temperatiſſimus.

7. Julii pulſus intra minutum 62. pulſationes habet. Nocte elapſa punctorius dolor mammam ſiniſtram per medium quadrantem horæ occupavit, ibi ceſſans ad lumbos delatus eſt, qui ibi per duo triave minuta moratus ſiniſtram capitis partem cum leni auris tinnitu ſubito occupavit: os ſacrum, vertebræ lumborum, coxa, femur & totum crus omnino naturaliter habent. Alvo a nudius tertius mane caret, non ſudat.

Miſſa fit camphora, datur ægræ emulſum & enema, ſequenti die diſparuit capitis dolor & auris tinnitus & ægra continuat bene habere.

14. Julii pulſus mollis, liber, dilatatus, æqualis, 60. pulſationes intra horæ minutum habet, tenſionem in pectore percipit, omni anno menſe Maio venæ ſectionem celebrare conſuevit, quam hoc anno ob nimiam debilitatem omiſit.

Sanguis educitur ex brachio ad unc. x. qui refrigeratus inſulam bonæ conſiſtentiæ & coloris, tenui cruſta inflammatoria tectam debitæ ſeri quantitati innatantem præbuit, & ægra poſt v. ſ.

optime habens magnam partem diei per agrum & pratum nosocomii deambulat.

28. Julii sana & robusta ex nosocomio exit.

CASUS QUARTUS.

VIR 43. annos natus, 1. Junii anni 1770. ad nos delatus est.

A 24. ætatis anno febribus acutis, pleuritide, arthritide diuturna frequenter vexatus fuit.

15. Mensis Maii hujus anni cum jam per aliquot septimanas minus bene habuisset, prægressa lassitudine spontanea, magna debilitate, anxietate doloribus lancinantibus, dilacerantibus in utriusque pedis dorso incipientibus & ad coxam usque propagatis affectus est, incipientibus doloribus utriusque pedis dorsum intumescebat: hic tumor sensim cum dolore auctus demum disparebat, dum ad summam intensitatem pervenerat dolor, ægrum fere in convulsiones agens; sic per mediam horam & ultra durabat, postea remittens absque intermissione, frequenter irregularibus intervallis exacerbandus, noctu intensior

quam de die. Similis dolor & tumor eodem modo procedens, digitos & dorsum utriusque manus occupans ad articulationem brachii inferioris cum ossibus carpi protendebatur, ingentes dolores vertebras lumborum & os sacrum occupabant: lecto affixus, immobilis variis usus est absque levamine, donec 1. Junii ad nos deferretur.

Vir torosus, robustus ita macer est, ut consumptis carnibus cutis tantum ossibus hærere videatur; unguibus incurvis, oculis in orbitarum cavis profunde hærentibus; cuti colore obscure flavo tincta.

Gingivæ cœruleæ, dentes sordidi, denudati, vacillantes.

Caput grave, obtuse præcipue circa frontem dolens.

Somnus paucus, appetitus nullus, sitis nulla, lingua humida, alvus naturalis, omni alterno die secedere solita; urina straminea cum enæoremate fundum petente, subinde aquosa, tenuis; respiratio facilis, naturali paulo frequentior, pulsus inæqualis, valde mollis, parvus; arteria subinde tensa, plerumque intra minutum 90. digitum ferit.

Curam hujus ægri usque ad vigesi-

mam Junii variis medicamentis, decoctis depurantibus, diaphoreticis, purgantibus, ſero lactis &c. levamine ſubinde apparente ac brevi iterum diſparente, tentavimus.

21. Camphoræ ſcr. j. per diem in emulſo datur, quam libenter ſumit. 23. datur dr. ß. 25. dr. j. per diem quatuor doſibus in mucilagine incipit abſumere.

26. Junii nocte elapſa melius dormivit, continuo ſudore leni per totum corpus æquali madens, qui circa matutinum tempus remiſit, & circa ſeptimam per horam factus eſt copioſus; gratiſſimum per totum corpus refrigerium laudat, tactui etiam manifeſtum; caput levius habet: dolores omnes multo minores ſunt, ſe ſolus erigit, & qui vix pedem in lecto movere poterat, ſolus ex lecto ſurrexit. Pulſus ut ante, ſubinde adhuc parum tenſus, 86. pulſationibus intra minutum abſolvitur. Quadripartita doſi camph. dr. j. ß. per diem abſumat.

28. Junii continuat per intervalla leniter ſudare, functiones reliquæ naturales bonæ. Dolores ita minuti ſunt, ut heri bis abſque fulcro ab una parte cubiculi ad aliam inceſſerit; manibus

quæcunque prehendit, ſat fortiter tenet; circa mediam noctem aure dextra per ſemi-horam doluit, hic dolor oborto ſecundum ſpinam dorſi copioſo ſudore ceſſavit, & æger ſat bene poſtea dormivit. Pulſus liber, dilatatus, mollis, arteria 74. intra minutum digitum ferit.

29 & 30 Junii vix amplius ſudat: caput adhuc grave eſt: arteria libera, 70 pulſat intra minutum. Sumat quater de die camphor dr. ß.

Hanc doſin bene fert: 3 Julii artus inferiores, os ſacrum & lumbares vertebræ ab omni dolore libera ſunt: artus ſuperiores quoque liberi, exceptis humeris, in quibus obtuſum dolorem conqueritur: noctu optime dormit, ſubin leni aurium tinnitu affectus: greſſus facilis, liber eſt: pulſus liber, mollis 78. pulſationes intra minutum habet, pergit eandem medicamenti doſin quotidie abſumere.

Nocte tertiæ ad quartam Julii cum debilitate & pandiculatione plus ſolito incaluit: acceſſere abdominis tormina: poſt quadrantem horæ erupit ſudor per totum corpus æqualis, circiter bihorio durans: quo finito incœpere carnes ſurarum & femorum tremere, ſicque con-

tinuaverunt per 20. horæ minuta mansit post hæc æger vigilans optime habens per quadrantem horæ; dein in placidum somnum lapsus est.

4 Julii pulsus 70. pulsationibus intra minutum absolvitur, est plenus, solidus, dilatatus, liber, quoad omnia benet habet: camphoram valde nauseat, & post illam assumptam calorem ad caput ascendentem, & frontis tensionem leniter dolorificam conqueritur. Missus fit camphoræ usus.

5. 6. 7. Julii sæpe leniter sudat. 8. nihil morbosi superesse videtur: ipsæ gingivæ firmæ, coloris boni sunt: dentes nitidissimi: carnes sensim corpori emaciato renascuntur: omnes functiones bonæ. Conceditur ipsi carnium esus.

20 Julii optime valens & fortis dimissus est.

CASUS QUINTUS.

SEPTUAGENARIUS Musicus semper utcumque sanus vixit: spasmodicis tamen & flatulentis hypochondriorum & abdominis affectibus ac torminibus præcipue post olerum & leguminum comestionem frequenter obnoxius.

Tota fere æstate elapsa valida laboravit tussi, qua vix aliquid excernebatur, & quæ variis adhibitis adpropinquante autumno demum cessavit.

Ante septem septimanas medium femur sinistrum invasit dolor urens, lancinans, diurno tempore major, quam de nocte, ad suram, malleolos & dorsum pedis protractus, gressum difficilem reddens.

Decoctis sic dictis, sanguinem depurantibus per quatuor septimanas usus nullo modo levatus est; imo e lecto surgere amplius non potuit. Domi modo hoc, modo illud adhibens remedium, permansit donec 30 Junii anni 1770. se ad nostrum nosocomium curavit deferri.

Habitus corporis est valde macilentus, cachecticus: tussitat subinde: appetitus bonus, sitis nulla; dorsum pedis sinistri uterque malleolus tument, dura sunt, dolent, planta pedis ita sensibilis, ut illi præ dolore insistere nequeat; genu mole auctum, non dolens, dum solito magis incalescit ægro sensum formicationis causat, sub poplite omnia rigida sunt; sura tensa est, dolens: quibus extensio cruris impeditur.

Respiratio libera: pulsus sunt spatio

minuti 100. vel plures, molles, parvi, debiles, ſubinde tenſi: Mercurius in thermometro Fahrenheitiano per quadrantem horæ ante 10. matutinam ſub axilla applicato exacte ad gradum 98. aſcendit.

Datur per diem camphoræ dr. ß. quam optime abſque mutatione fert.

3 Julii quater de die camphoræ gr. xv. ſumit.

5 Julii pulſus fere ut ante, paulo magis dilatatus: applicatum ut ante thermometrum, grad. caloris 96 $\frac{1}{2}$. notat; cutis mollis, perſpirans.

7 Julii ſomnus melior, protractior ſolito: dolores ubique multum minuti: ſura minus tenſa: tendines ſubpoplitei minus rigidi: urina rubra, alvus naturalis; ſudor nullus; ſitis nulla; pulſus dilatatus, mollis, liber 83. pulſationes intra minutum primum habet. Thermometrum applicatum caloris gradus 97. exhibet. Datur quater in die camphoræ dr. ß.

8 & 9 Julii mane thermometrum eundem caloris gradum notat ac præcedentibus diebus: aitque æger ſe poſt aſſumptum medicamentum nullum incommodum pati; lingua naturalis; ſitis nulla; ſudor nullus.

Poſt

Post meridiem per mediam horam doloribus punctoriis hypochondrii dextri & tunc distenti abdominis borborygmis affectus est: alvum a nudio tertio non deposuit: pulsus est tensus, resiliens, inæqualis, irregularis, intra minutum 86. pulsationes complens: datum enema has turbas statim abstulit: somnus est bonus & omnia continuant in melius mutari, pergit quotidie dr. ij. camphoræ absumere.

17 Julii pulsus 80. intra horæ minutum molles, liberi, dilatati: grad. caloris 96. notat thermometrum more solito applicatum.

20. Crus libere extendit: disparuere tensiones, tumores, dolores: pedi insistere potest: somnus bonus, protractus, in quo nunc leniter sudat: pulsus plenus, solidus, mollis, dilatatus 78. pulsationes intra minutum primum præbet: gradus caloris thermometro per quadrantem horæ applicato est, ut 17.

Abstinet æger a medicamento: cibis congruis utitur, & circa medium Augusti sanus dimittitur.

CASUS SEXTUS.

PUELLA 27. annos nata 26 Julii anni 1770, ad nos delata est.

A pueritia febribus intermittentibus sponte semper cessantibus frequenter affecta, ante sex annos in profundum lapsa præcipitium multum sanguinis per triduum ore reddidit : convaluit nullis adhibitis remediis.

A verno tempore anni 1769. frequenter nullo alio prægresso symptomate convellitur cum integra mentis alienatione : menstruis caruit ad ultimam Maii anni 1770. quæ, completo jam 24. ætatis anno, post validum convulsionis paroxysmum, prima vice eruperunt, & copiosa per triduum fluxerunt : quibus non obstantibus ante finem Junii adhuc bis convulsa fuit.

Circa medium Aprilem ejusdem anni, ex curru, quo vehebatur, lapsæ crus dextrum, prope malleolum internum, valde contusum, excoriatum est, & in ulcus abivit : quod variis applicatis videbatur brevi cicatrice obducendum. Cecidit autem iterum 17 Junii ex alta, quam conscenderat, scala & idem crus

denuo multum læsit : unde ulcus denuo latius evasit, & incœpit hypochondrio sinistro multum dolere. Hoc modo adhuc affecta post institutam V. S. & sumptum purgans ad nos defertur.

Pulsus, est mollis, parvus, & tantum 66. pulsationes intra minutum primum præbet. Respiratio, ob hypochondrii dolorem parum læsa : dantur medicamenta leniter solventia, paregorica & talia externe applicantur : ulcus saniem dans antisepticis deligatur.

Prima Julii crus totum tumet ; profunde rubet, tensum est, & ulcus fuscum, siccum est : pulsus frequentia irregularis uno minuto septuaginta altero 80. pulsationes exhibens, valde mollis, flaccescens : thermometrum per quadrantem horæ applicatum 98. grad. caloris notat. Datur camphoræ dr. ß. per diem absumenda.

2 Julii omnia in eodem statu permanent : malum non est auctum : dantur quater de die camphoræ gr. xv.

Ulceri gangrænoso præter emplastrum diapalm. nihil applicatur : frequenter invisitur ægra, ne forte ingravescente malo hac methodo aliquid negligatur, & si opus sit, alia medica-

T 2

menta illi porrigantur : verum visa est potius in melius parum mutari.

Tertia Julii crus minus rubrum, minus tumidum, minus dolens : ulcus humescit, & in circumferentia videtur crusta elevari Thermometrum per 20. & ultra horæ minuta in cavo subaxillari applicatum caloris gradum 97. exhibet : pulsus adhuc irregularis, modo 54. modo 60. mox etiam 72. pulsationes intra minutum præbens : sed solidescit, fortior est : respiratio minus frequens, fere naturalis : licet adhuc doleat hypochondrium.

Continuat eadem medicamenti dosi uti, rebus sensim in melius vergentibus.

Quinta Julii, idem caloris gradus ; pulsus magis regularis, dilatatus, liber 63. pulsationes intra minutum habet : dolor partem anteriorem hypochondrii occupans retrorsum prope dorsi spinam translatus est, & subinde intermittit : crus multum collabitur, & fere ubique suppurat ulcus ; urina & alvus naturales sponte excernuntur ; cutis mollis, perspirans ; sudor nullus ; sitis nulla ; lingua pura ; appetitus bonus ; somnus vero paucus. Continuetur eadem camphoræ dosis.

Septima Julii crus penitus detumuit, colore naturali præditum: ulcus cavum, purum, ubique copiosum, optimum pus dat: heri tamen convulsa fuit. Pulsus sunt 55. intra minutum primum: in thermometro Fahrenheitiano more solito applicato mercurius ad gradum 96. ascendit, sic etiam octava: nona ad 95. sic usque ad 16 Julii, qua tantum 94. caloris gradus notat. Pulsus liber, dilatatus, solidus, fere semper 60. 62. pulsationes intra minutum primum exhibet: disparuit omnis dolor: cavitas ulceris tota impleta est, & media superficies cicatrice obducta.

Continuatur camphoræ usus, ea spe, fore ut forte convulsionibus medeatur & menstrua ab ultima Maii emanentia promoveantur; verum 27 Julii medicamentum nauseat: dantur ipsi scr. ij. per diem cum succo liquiritiæ in pilulas redacti: verum nec sic potest sumere, & si se cogat, vertiginosa fit: hinc illi superseditur. Pulsus est plenus, liber, omni nota sanus.

Tertia Augusti cum jam per sex dies a camphora abstinuisset, more solito convulsa est: ulcus perfecte cicatrice obductum, & totum corpus sanitatem præ se fert.

Utitur antiſpaſmodicis, nervinis, &c. ad finem uſque Auguſti, ſub quorum uſu adhuc ſemel convulſa eſt.

6 Septembris licet menſtrua evacuatio nulla promoveri potuerit, robuſta, optimo colore prædita ex noſocomio exit.

Quinta Julii incœpit ulceri gangrænoſo applicari mucilago N. 5. & continuata eſt donec ulcus fuerit cicatrice obductum.

CASUS SEPTIMUS.

PUELLA 28. annos nata, decimo ætatis anno variolavit, ingenti puſtularum agmine tecta, quarum conferta veſtigia in facie proſtant.

Annos nata 17. prima menſtrua acquiſivit, quæ, ut ait, debite fluxere ad ætatis ſuæ annum 27.

24. annos nata vehementiſſimo dolore ſiniſtram capitis partem occupante per aliquot dies affecta eſt. Sub quo in oſſe temporali tumor medii ovi gallinacei longitudinaliter diviſi figura & magnitudine, brevi duritie oſſea tactui reſiſtens, ortus hemicraniam multum lenivit.

Tumor ille neglectus post medium annum sponte disparuit, & ægra atrocissima cephalalgia, qua, per vices præcipue nocturno tempore, fere in furorem agebatur, correpta est: quæ variis medicamentis & maxime bis repetita cum scarificatione cucurbitularum septem retro aures & ad nucham applicatione disparuit.

Initio anni 1769. scabie humida totum corpus occupatum est, quam, præmisso purgante, in unctione quadam circa artuum articulos quotidie per sex septimanas continuata retropulit.

Mense Martio sequente pleuritide correpta est, quæ V. S. curata mense Aprili illam denuo invasit, venæ sectione iterum sublata.

Ab illo tempore menstrua quoad quantitatem, qualitatem & tempus fuere irregularia. Fluore albo frequenter affecta fuit, ut aiebat, numquam urente.

Circa medium Octobris ejusdem anni os sacrum & coxam dextram vehemens, lancinans, dilacerans dolor invasit, & inde per femur & exteriorem cruris partem ad digitos usque pedis æque acerbus propagatus est: genu intumuit ita, ut nonnisi cum magnis doloribus crus vel flectere vel extendere posset.

Variis & externe adhibitis aliquod levamen nacta eſt, & ſua utcumque peragere potuit; donec circa finem Januarii anni 1770. ex ſede, cui inſidebat, ſurgere volens ceciderit: tunc enim omnia exacerbata fuere: genu maxima parte collapſum, iterum intumuit, & iſchiadii nervoſæ adjuncta eſt pleuritis, quæ methodo antiplogiſticæ ceſſit, manentibus diriſſimis iſchiadis ſymptomatibus, quibuſcum 12 Martii anni 1770. ad nos delata eſt.

Uſque ad tertiam Julii varia & optima adhibita medicamenta, veſicantia, aliquoties repetita, ſubinde aliquod levamen attulerunt, morbum vicerunt nunquam. Caput ſæpe dolet; menſtrua manent irregularia, aquoſa, & illa per plures dies præcedit & ſequitur fluor albus. Pallidus, & gracilis eſt corporis habitus; appetitus bonus, alvus & urina naturales.

Tertia Julii camphoræ dr. ß. quotidie abſumenda præſcribitur: antequam primam adſumat medicamenti doſin thermometrum per 20. horæ minuta applicatum notat gradum 97; pulſus parvus cum aliqua tenſione, mollis, variis vicibus examinatus 84. 85. 88. pulſationes intra horæ minutum exhibet.

Quinta Julii, pulſus plerumque 70. tantum pulſationes intra minutum habet. Thermometrum eundem caloris gradum notat ac nudius tertius. Datur ipſi medicam. N. 2.

6. 7. 8. idem caloris gradus: pulſus idem.

10. Pulſus variis vicibus examinatus 60. 64. 66. pulſationes intra horæ minutum præbet. Gradus mercurii in thermometro eſt 96.

Sequentibus diebus continuata eadem camphoræ doſi, caloris gradus ſunt 97, pulſus ut ante uſque ad 16. Julii, qua thermometrum caloris grad. 100. notat, more ſolito applicatum: pulſationes arteriæ tempore conſueto ſunt 80. 86. Ægra à camphora nullum omnino levamen habet.

17. Julii dantur ægræ mercurii dulcis grana v. quadripartita doſi quotidie abſumenda.

Abſumpta hujus dr. ß. incœpit ſalivare, & per ſex ſeptimanas continuata ſalivatione perfecte curata eſt.

Initio Septembris menſtrua debita quantitate & qualitate per ſex dies fluxerunt, & 13. ejuſdem ſana dimiſſa eſt.

CASUS OCTAVUS.

QUINDECIM annorum ſutoris tyro ab aliquot annis frequentibus narium hæmorrhagiis, quas cephalalgia modo brevioris, modo diuturnioris durationis ſemper ſubſequitur, obnoxius, quater arthritide, qua omnes artus articuli tumentes, immobiles fiebant, ſpatio duorum annorum correptus, ſuffumigiis & paucis interne adhibitis medicamentis ſemper ſat cito curatus eſt.

Ab aliquot annis (annum enim determinare nequit) ſpeciei cuidam convulſionis, qua uterque oculus mire rotatur cum faciei rubore obnoxius eſt: hoc per aliquot horæ minuta durat: dein caput anterius collabitur oculis clauſis: totus paroxyſmus circiter intra quadrantem horæ abſolvitur, & quandoque ſæpius de die redit. Cauſam tribuit terrori magno, quo non diu ante primum paroxyſmum perculſus fuit.

Hoc anno 1770. tempore Bacchanalium apud nos decubuit, & curatus dimiſſus eſt, emanſitque paroxyſmus ultra tres menſes, donec 20. Junii elapſi ligna empturus tempeſtate valde plu-

viosa somno mane in tenebris exeuns in obstaculum ligneum impegerit, unde multum territus fuit & sequenti die paroxysmus illum denuo invasit, quo ab eo tempore quotidie semel, quandoque bis impetitur.

3. Julii ad nos delatus est, bis in itinere ad nosocomium paroxysmum passus.

Circa sinus frontales dolorem magnum conqueritur, & magnam in sudores propensionem.

Thermometrum Fahrenheitianum bihorio post suum in nosocomium ingressum in cavo subaxillari per 20. horæ minuta retentum ægro adhuc jejuno, 99. caloris gradum notat. Pulsus rithmo & tempore inæqualis, irregularis omni fere minuto pulsationum numero varians, ut modo 70. modo 70. aliquot numerentur: maximus tamen numerus est 80. valde mollis & sat dilatata arteria; reliquæ functiones sat bonæ: in hypochondrii dextri media parte, minime tensa, ab attactu dolet: datur ipsi purgans & 4. Julii incipit camphoræ dr. ß. per diem absumere quam optime fert: quare 6. ejusdem dantur gr. xv. quater diei tempore.

7. Julii pulsus liber, mollis, subundulans, minus inæqualis 77. pulsatio-

nibus horæ minutum explet; frontis & hypochondrii dolor ut ante: latus pectoris sinistrum, subinde dolor prehendit ad sternum extensus, fugax, cito evanidus. Leniter, sed fere continuo sudat. Stat mercurius in thermometro applicato ad gradum 97. omnes functiones bonæ: paroxysmus more solito redit. Detur ter de die camphoræ dr. ß. sive medicam. N. 3.

8. 9. Julii idem pulsus: caloris grad. paulo infra 97.

10. Julii thermometrum mane & vespere applicatum notat semper grad. 98. Pulsus characteres ut ante, cujus pulsationes intra minutum numero 64. comprehenduntur. Post assumptam quamque medicamenti dosin, ait quasi ebrium se fieri, manereque sic per mediam horam: dolor circa sinus frontales & hypochondrium idem: bene dormit: leniter sudat: quoad reliqua pergit bene habere: continuat quotidie camphoræ dr. j. ß. absumere, sed sexpartita dosi; sic nulla amplius ebrietas ipsius assumptionem sequitur.

12. Julii oculorum convulsio, quæ a 7 ejusdem abfuerat, denuo apparuit, sed tantum per duo horæ minuta duravit, omnia ut ante.

14. Julii brevis convulsio oculorum iterum adfuit. Pulsus valde inæqualis post tres quatuorve pulsationes valde præcipites, plures alias habet valde raras, inter quas una intercurrit valde tarda, quasi pars arteriæ tangenti digito respondens tenaci quadam materia internæ arteriæ parti fere agglutinata vix amplius dilatari posset: hasque inæqualitates non semel sed decies examinatus pulsus semper exhibet: utrumque hypochondrium leniter tensum, dolorificum est, frons ut ante dolet. Detur haustus purgans: mercurius in thermometro non exacte ad 98. gradum ascendit.

15. levata sunt hypochondria: pulsus liberior, minus inæqualis; minime febrilis: calor thermometro mensuratus idem, ac ante.

Omnia bene pergunt ad 18. Julii, qua iterum convelluntur oculi, paroxysmo æque diu durante ac dum ad nos venerat: calor idem; pulsationes intra minutum circa 70.

Perrexit eadem camphoræ dosi uti usque ad 28. Julii, pulsus circiter 56. intra minutum digitum feriens eosdem caracteres servat, ac 14. Julii: continuat redire paroxysmus convulsivus: dolor circa sinus frontales idem perma-

net. cœterum quoad reliqua æger bene habere videtur.

A camphora abstineat & sumat quater de die extracti hyoscyami gr. vj.

10. Augusti magnum lumbricum vivum ano excrevit ; pergit eandem extracti hyoscyami dosin sumere.

6. Septembris, cum post excretum vermem nulli amplius frontis dolores adfuerint, paroxysmus convulsivus integre emanserit, & functiones omnes naturaliter processerint, sanus, viribus pollens dimittitur.

CASUS NONUS.

TEXTOR 20. annorum mense Septembris anni 1769. scabiem, qua a tribus hebdomadis occupabatur, inuncto aliquoties manibus & brachiis anterioribus unguento quodam retropulit : statim intumuere crura, quæ ab eo tempore semper doluere, & mense Octobris ulcerata sunt.

Variis incassum usque ad primam Julii anni 1770. qua balneis Badensibus insidere inchoavit, usus est remediis.

Sub usu balnei per 16. dies continuato, crurum tumor, tensio, dolor

valde increverunt, & ulcera in gangrænam abierunt, cum qua 17. Julii ad nos curru vectus est.

Ulcus magnum sinistrum crus occupans a malleolo externo recta sursum ad 15. pollicum Parisinorum longitudinem extensum, cujus latitudo superior 3. inferior vero 5. pollicum erat, supra caput fibulæ aliud ulcus imperialis magnitudine, & tertium floreni magnitudinem æquans metatarso insidebat: dextri cruris partem externam occupans ulcus a medio malleolo versus superiora ad sex pollicum Parisinorum longitudinem decurrebat cum latitudine 3. pollicum & 9. linearum: superiorem externam cruris partem ulcus pariter imperialis magnitudinis occupabat, vix cum inferiore non coeuns. Hæc omnia ulcera gangræna nigra affecta erant, hinc inde saniem fuscam stillantia: crura tumidissima, purpureo, plumbeoque colore deturbata, frigida, inferius insensilia, superius doloribus plena.

Respiratio creberrima, celeris, valde laboriosa, sæpe sublimis: arteriæ membranæ tenues, flaccidæ, videntur tantummodo aerem vehere; & pulsus summe irregularis, sat dilatatus, ita

præcipitatus est, ut impossibile sit pulsationes numerare.

Caput totum, quasi a putredine inflatum valde dolet: urens, siccus per totum corpus, exceptis cruribus calor: supinus diductis cruribus decubitus: lingua nigra siccissima: sitis nulla: oculi cœrulei, prominentes, tumidi: tota cutis sordidissima, quasi pulvere fusco consperso.

Sera vespera ad nosocomium advecto datur camphoræ dr. ß. totum crus omni octava hora medicament. N. 5. deligatur.

18. Julii sumit quater de die camphoræ dr. ß. deligatio pergit fieri ut heri.

Vespere omnia sensibiliter in melius mutantur: gangræna ubique separatur: respiratio naturalis: pulsus collapsus, solidus, vix febrilis: leniter sudat: de grato totius corporis refrigerio lætatur; minus tensa sunt crura: collapsa est facies: oculi vividiores: dolores capitis disparuere; nox sequitur fere tota somno pacato transacta: crura ubique calent.

19. Mane, fere integra gangrænosi in omnibus ulceribus facta est separatio. In fundo magni ulceris cruris sinistri tendo peronæi ad longitudinem duorum

pollicum nudus : in superiori dextri cruris ulceris tendo bicipitis etiam semipollicem pariter denudatus conspicitur : facies & oculi naturales, lingua tota humida, marginibus pura ; sitis nulla : crura mollescunt : color illorum sensim ad naturalem accedit. Pulsus liber, dilatatus, cum soliditate mollis, 80. pulsationes intra horæ minutum habet ; sudat multum : cutis tactui refrigerata videtur.

Vespere omnia ulcera suppurant : pus inodorum, optimæ consistentiæ, leniter flavescens dant : musculi subjacentes pulchre rubelli : valde detumescunt crura ; & æger de magna fame conqueritur.

20. Julii crurum colore naturali præditorum tumor fere integre disparuit, optima est suppuratio : æger nocte elapsa optime dormivit.

21. Julii omnia continuant optime procedere : pulsus liber, dilatatus, mollis, 80. pulsationes intra minutum tactui exhibet : tendinum nuditas sensim minor fit, nihil in methodo medendi mutatur.

27. Julii tendines carne tecti sunt : cavitates ulcerum repletæ : optima sed multum minuta suppuratio : rudimenta

cicatricum in quovis ulcere conſpiciuntur. Verum æger, poſt ſolitam camphoræ doſin aſſumptam ſpeciem levis & cito diſparentis ebrietatis jam a biduo conquerens, hodie vertigine vexatus eſt. Pulſus eſt fortis, plenus, dilatatus, non frequentior ſolito. Jubetur ut tantum camphoræ dr. j. ß. per diem hancque ſexpartita doſi abſumat. Nox ſequitur bona.

28. Julii cuſtos vel moniti oblitus, vel bono, quem videbat in ægro medicamenti effectu ſeductus, & non credens nocere poſſe, illi mane adhuc jejuno ſolitam doſin porrexit, unde ſtatim valde vertiginoſus evaſit, & circiter per duo horæ minuta tendinum ſubſultus in omnibus artubus paſſus eſt: datum vero quotidie præfatum camphoræ pondus, ſed ſexpartita doſi, poſtea tales turbas non amplius excitavit, licet æger magis nauſeabundus medicamentum ſumpſerit.

29. Æger optime noctu dormivit; pulſus bonus, parum collapſus: cicatrices cito augentur: valde magnus eſt appetitus: conceditur ipſi carnium eſus.

6. Auguſti ulcera ſuperiorum crurum & illud quod metatarſum pedis dextri

occupabat, pulcherrima cicatrice obducta sunt, & duas tertias majorum ulcerum partes cicatrix obduxit; æger continuat camphor. dr. j. ß. per diem modo ante dicto sumere, illam bene fert: omnes functiones optimæ.

14. Augusti ulcus cruris dextri fere integre cicatrisatum: in sinistro tantum superest pars floreno paulo major cicatrice orba. Missum facimus camphoræ internum usum: externa illius applicatio continuatur.

Sub finem Septembris robustus & optime valens, ulcere nondum perfecte circatrisato nobis invitis ad suum opificium redivit.

Mense Octobris declinante sub continuatis laboribus & diæta dyspepta crura pergebant bene habere: quidam tamen ipsi suasit, ut gramen butyro incoctum utrique cruri applicaret: qua methodo per octo dies continuata, dextrum parva, sinistrum majori plaga ulcerari incœpit.

Variis postea aliis absque magno ulcerum augmento usus est: donec 16. Januarii anni 1771. febri petechiali epidemica correptus fuerit: decurrente enim morbo sensim gangrænosa facta ulcera superficie aucta sunt; datis autem

illi, ut pote iterum ad nostrum nosocomium delato, 10. morbi die camphor. dr. ij. per diem sexpartita dosi, & applicata externe camphora, gangræna intra quatuor dies separata bonæ suppurationi locum fecit. Æger 14. morbi die incœpit sudare & per sex dies multum sudavit, sicque a morbo penitus judicatus est.

Post hac de camphora nihil amplius sumpsit, & solo illius externo usu per 10. vel. 12. septimanas continuato, interposito subinde purgante perfecte curatus est: custodis postea officium apud ægros inivit, mansitque usque ad mensem Julii anni 1772.

CASUS DECIMUS.

VIGINTI novem annorum, operarius a 9. mensibus ingentes ossis sacri & vertebrarum lumbarium dolores noctu semper intensiores & sensim ita auctos, ut artus inferiores non amplius movere potuerit, patiens 23. Julii ad nostrum nosocomium delatus est.

Nullam præfati doloris causam ab ipso eruere potuimus; hinc materiam rheumaticam has partes forte obsidere

ſuſpicati, cum pulſus liber, mollis, non plenus, 62. pulſationibus intra minutum abſolveretur, & thermometrum per mediam horam applicatum 97. caloris gradum notaret: camphoræ dr. j. per diem quadripartita doſi ipſi exhibuimus.

Sic continuavit uſque ad 15. Auguſti, modo parum melius habere, modo plus pati viſus; vix toto hoc tempore ſudavit: omnes reliquæ functiones manſere bonæ.

16. Auguſti, dolores noctu acerbiſſimi fuere: thermometrum notat caloris gradum 98. pulſus ſunt circiter 70. intra minutum, magis irritati, molles tamen. Miſſa fit camphora: dantur ipſi quotidie mercurii dulcis gr. v. Continuatur decoctum chinæ, ſaſſaparillæ radic. &c. quo jam antea utebatur: interpolatur ſubinde purgans & hac methodo per 22. dies continuata, æger perfecte abſque ſalivatione curatus eſt, & 13. Septembris noſocomio valedicit.

CASUS UNDECIMUS.

FEMINÆ circiter 30. annos natæ, 16. ætatis anno menſtrua prima vice erupere;

ab eo tempore regularia. Circiter 23. annos nata matrimonium inivit : tres proles debito tempore felici partu in lucem edidit anno autem 1769. in octavum mensem iterum gravida mense Augusto febri acuta continua per 14. dies decubuit : visa postea sana.

Sub finem Augusti diarrhæa correpta est, quæ 20. & ultra dejectionibus alvinis per plures dies continuatis ægram valde debilitavit : unde præmaturo partu, continuante adhuc diarrhæa, quartam prolem peperit.

Adhibita medela diarrhæa fere subito sublata est, & vix fluxere lochia; pedes ante partum tumidi, sub diarrhæa collapsi, denuo valde intumuere, & facta est ascitica.

Ex Hungaria ubi tunc degebat, tempore frigido, pluviis nivibusque copiose alternatim cadentibus, iter pedes Viennam suscepit, ut curaretur, quo appulsa remediis sumptis ab ascite & magna crurum œdematis parte liberata fuit.

Mense Decembris crus dextrum magis intumuit, doluit, tensum & inflammatum est : pustulæ rubræ illud occuparunt, quas omnes illito unguento quodam retropulit, una magna excepta,

quæ inferiorem internam cruris partem obſidebat, & eſcharam formavit, qua ablata ſubjecta profunde eroſa in conſpectum venerunt.

Hoc ulcus ſenſim omni dimenſione auctum eſt, crure manente tumido, duro, dolente.

Menſe Februario 1770. prima vice ab ultimo partu menſtrua erupere, quæ circa medium Junii iterum pauca fluxerunt, & ab eo tempore non amplius apparuere.

Optimis medicamentis adhibitis, crus mollitum eſt; dolores remiſerunt: quare ægra menſe Maio lotricem agere cœpit, non obſtante ulceris valde dolentis extenſione & renatis tumore & tenſione dolorifica cruris: hoc munere uſque ad trigeſimam Julii, qua ad nos delata eſt, continuavit fungi.

Crus duplo majus altero, durum, rubrum, multis locis cœruleſcens, valde dolens: ulcus profundum palmæ magnitudine marginibus calloſis, fuſcum, ſaniem paucam, fuſceſcentem fundens, valde dolorificum: color faciei fuſco-viridis: pulſus febrilis, parvus, flacceſcens: appetitus nullus: lingua ſordida, ſitis mediocris.

Poſt aſſumptam ipecacuanh. dr. ß.

qua aliquoties vomuit ægra, data eſt illi 1. Auguſti camphor dr. j. per diem abſumenda, & ulceri medicament. N. 5. applicatum eſt.

Secunda Auguſti incœpit quotidie camphoræ dr. j. ß. abſumere: pulſus adhuc febrilis, minus flaccidus. Ulcus pus tenue, flavum, dat.

3. Veſpere ulcus pus album, ſpiſſum, blandum dat: margines multum molliuntur.

4. Auguſti crus totum molleſcit, collabitur: ulcus optime ſuppurat: appetitus magnus: ſitis nulla: alvus & urina naturales.

Cavitas ulceris renatis carnibus cito impletur: undecima Auguſti crure penitus collapſo, colore naturali prædito ab ulceris marginibus naturalem mollitiem adeptis, & ulceris ſuperficiei æqualibus cicatrix circumquaque naſcens conſpicitur: pulſus plenus, dilatatus, ſolidus, minime febrilis.

14. Auguſti res cum ulcere optime pergit. Pulſus autem eſt valde plenus, parvus, ſubdurus: vena in brachio dextro ſecta eſt, & eductus eſt ſanguis, qui refrigeratus inſulam compactam, cruſta phlogiſtica tectam, multo ſero innatantem exhibuit.

Poſthac

Posthac ægra solum dr. j. camphoræ cum nitri scr. ij. quotidie absumpsit. Deligata est ut ante: penultima Augusti, ulcere perfecte cicatrisato, ab omni medicamento abstinuit, & 15 Septembris, sana, bene colorata, robusta, octiduo ante menstruis gavisa ex nosocomio dimissa est.

CASUS DUODECIMUS.

PUELLA 18. annos nata, nunquam menstruata, robusta, torosa, jam a septem mensibus male habens prima Augusti anni. 1770. ad nos delata est.

Habebat pulsum valde irritatum, resilientem, tensum absque duritie, imo videbatur sæpe arteria vacua: respiratio sæpe anxia: conquerebatur magnum circa præcordia pondus, & vagos punctorios ventriculi, hypochondriorum & pectoris, subindeque capitis & colli dolores: abdomen tensum erat: appetitus nullus: alvus tarda: urina varia: calores vagi sæpe repetentes, quos sequebatur copiosus mox brevioris, mox longioris durationis sudor.

Considerantes juvenem robustam nondum menstruatam, dedimus illi cam-

phor. gr. xv. quater de die, visuri an sic non erumperent menstrua, quæ morbum tollerent: vel an alio modo camphora illam a suis ærumnis liberaret.

2 Augusti omnia paulo mitiora esse ait: pulsus est minus irritatus, rithmo & tempore sæpe varians. Camphoram optime fert & libenter sumit.

3 Augusti omnia ut heri. Dantur sexies in die gr. xv. camphoræ.

4 Augusti ait se noctu bene dormivisse: respiratio est liberior: pulsus dilatatus, mollis, minus creber: dolores sunt minores; abdomen minus tensum: accessus caloris & sudoris rariores, & ægra se per totum corpus gratissime refrigeratam gaudet. Continuat eadem camphoræ dosi uti.

7 Augusti, pulsus pacatissimus: omnia naturaliter habent: erupit in manibus & brachiis anterioribus denso agmine scabies: missa fit camphora, & puella aliis medicamentis a scabie liberata ex nosocomio absque evacuatione menstrua exivit.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

VIR 30. annos natus, dum puer esset variolas, morbillos & febrim intermittentem feliciter exantlavit, & postea sanus vixit.

Annos 18. natus militiæ nomen dedit: munere suo sanus, alacris per annum functus est: dein totum corpus scabies purulenta invasit, quam unguento ex pulvere pyrio & axungia parato sæpe applicato intra 14. dies percuravit.

Elapsis a retropulsa scabie aliquot diebus, concidit quasi apoplecticus, & post binas venæ sectiones sibi redditus acute per longum tempus decubuit: donec magnus tumor a summa posterioreque parte ossis ilii usque supra mediam natem dextram ortus est, qui apertus circiter mensuram puris dedit: ulcere cicatrisato alius sub poplite dextro ortus est abscessus, qui quoque multum puris dedit, & 14. dierum spatio curatus est. Æger postea quot annis venam bis sibi secari curavit.

In ultimo bello Borussico ense vulneratum ipsi fuit os perietale dextrum, glande plumbea poples sinister; & post,

in pugna Torgavienſi tormentorum, quibus inſerviebat aſſiduo fragore factum jam ſurdaſtrum globus ab hoſte miſſus proxime aurem dextram prætervolans ad terram proſtravit : finita pugna ſanguis primo, & dein ſeroſum, quid ex aure effluxit : ſubinde pure mixtus hic fluxus, non obſtante variorum applicatione, per quatuor annos duravit, quo ceſſante per biennium ſibi ſanus viſus eſt æger.

Menſe Novembris anni 1768. gingivas lavando oſſiculum tenue, oblongum abſque dolore ex anteriore parte maxillæ ſuperioris ſeparavit : aitque æger ſe nunquam ibi doluiſſe antea : poſthac autem ſtatim intumuit, & tenſum eſt labium ſuperius, cui æger nihil admovit, ſolitos labores continuo peragens.

Menſe Maii anni 1770. cum diu pluviæ expoſitus fuiſſet, binis locis ulceratum eſt labium ſuperius : a Medecis, Chirurgis, aniculis varia applicata ſunt, ſub quorum uſu malum cito ſerpſit : acceſſit demum pie defunctum illuſtriſſimum L. B. Gerardum van Svvieten, qui illum 10 Octobris 1770. ad noſtrum noſocomium miſit, & expenſas ſolvit.

Totum labium ſuperius oris, angulus ſiniſter oris & inde labii inferioris media pars ſiniſtra exeſa, penitus conſumpta erant. Ab angulo oris ſiniſtro & labiis ulcus profundum late deſcenderat, uſque infra marginem inferiorem partis lateralis ſiniſtræ maxillæ inferioris: dexter oris angulus pariter exeſus, ſed non integre conſumptus: gena utraque & malarum contigua media pars ad naſum uſque conſumptis cute & panniculo adipoſo turpi ſpectaculo ulcerata; labia ulcerum multis locis dentatis excreſcentiis, involutis, aperturas ſinuum tegentibus, duris, ad faciendas in ſinus, quorum quatuor in ſiniſtra, tres in dextra gena erant, injectiones, præ rigiditate difficulter revolvendis munita ſunt. Jam initio hujus anni duo oſſa propria naſi ſponte exciderant, foramenque reliquerant per quod exterius applicata in fauces cadunt: media pinnarum naſi pars exeſa; a ſymphyſi maxillæ ſuperioris margo alveolaris ſiniſter uſque ad tertium molarem carioſus eſt: vix maxillæ amplius cohærentes primus & ſecundus molaris digitis facile educti, carioſi: anterioris hujus lateris dentes jam ante exciderant. Omnia hæc ulcera ſive potius ex

his invicem communicantibus conflatum ulcus totum sordidum, fuscum, foetidissimum, sanie fusca diffluit. Pulsus est flaccidus, debilis, parvus, febrilis: respiratio bona; masticatio ciborum impossibilis: hinc tenuia alimenta cochleatim ipsi ingeri debent: sitis mediocris: alvus naturalis.

Deligantur ter de die omnia mucilag. N. 5.

Datur ipsi omni tertia hora camphor. dr. ß. ut 24. horarum spatio illius dr. iij. absumat.

11 Octobris omnia depurantur; foetor minuitur, dictam camphoræ dosin libenter sumit, & absque minimo incommodo fert.

12. Ubique pus tenue flavescens adest: foetor disparuit.

13. Bonum pus dant omnia ulcera, rigidi molliuntur margines & suppurant.

20 Octobris ulcus, quod ab angulo oris sinistro deorsum versus mentum & lateralem sinistram maxillæ inferioris partem omnia exederat, carnibus impletum fere integre cicatrisatum: cava ubique implentur, in facie & in multis locis cicatricum rudimenta conspiciuntur. Sinus hinc inde sub integumentis

latentes vix amplius ſenſibiles, & dentatæ labiorum ulceris excreſcentiæ fere integre bona ſuppuratione conſumptæ. Præfatam medicamenti doſin optime fert, & pergit libenter ſumere: bene dormit, facilius deglutit, & magnum appetitum habet: omnes reliquæ functiones etiam bonæ.

25 Octobris dextrum os ſpongioſum naſi fruſtillatim emunxit: omnia cito in melius pergunt.

1 Novembris cicatriſatis oris angulis & illorum vicinia, ulcereque anteriorem maxillæ ſuperioris partem occupante firma cicatrice obducto, ſeparataque inſenſibiliter carie partis ſiniſtræ maxillæ ſuperioris, quæ nunc hoc loco ſpecie membranæ veſtita eſt, panem cito & facile maſticat: de ingenti appetitu conqueritur; hinc præter alia alimenta conceditur ipſi carnium eſus. Pulſus manet pacatiſſimus, mollis, liberrimus: inferior naſi pars etiam cicatriſata eſt: foramen naſi ſuperioris partem occupans clauſum eſt: & hoc ulcus incipit cicatriſari.

Licet æger de camphora nihil conqueratur, & optime illam ferat, cum videatur ſufficere nunc doſis minor;

præſcribitur illi formula N. 4. & deligatio tantum bis in die inſtituitur.

Sic continuavimus uſque ad 23. menſis Decembris, qua die ego & plures Medici mecum noſocomium frequentates omnia cicatriſata invenimus ; ſuperior autem malæ ſiniſtræ pars eſt œdematoſa, coloris cœrulei, minime tamen etiam ab attactu rudiori dolens.

Pulſus eſt pacatus, ſed valde plenus, ſolidus : capitis gravitatem præcipue veſpere conqueritur : cœterum optime habet ; robuſtus eſt : ſolitus eſt autumnali tempore venæ ſectionem inſtituere, quæ hoc anno neglecta fuit : quare vena ſecta eſt, & eductus eſt ſanguis omni nota bonus.

24 Decembris ab omni medicamento quieſcit, & 25. ſumit purgans.

Poſt hæc alacriter continuavit habere, & quotidie camphoræ dr. j. abſumpſit.

18 Januarii 1771. color lividus malæ diſparuit : œdema diſſipatum eſt. Miſſa fit camphora : datur ipſi decoctum lignorum cum antimonio crudo ; ut eo magis depuretur humorum maſſa, ſtatuimusque in horum uſu per ſex ſeptimanas continuandum : verum inſalutato hoſpite initio Februarii diſceſſit.

1 Septembris 1771. denuo ad nos redivit superiore nasi parte late ita exesa, ut ipse canthus internus oculi sinistri penitus consumptus esset, oculo toto & utraque palpebra valde inflammatis.

Ab angulo oris dextro ulcus ad labium anterius ossis maxillæ inferioris descendens, sinistrorsum supra mentum usque ad partem lateralem sinistram maxillæ extensum ita profunde omnia exederat, ut residua labii inferioris pars continuo videretur excisura: genæ hinc inde levioribus ulceribus occupatæ erant. Pulsus ut prima vice erat mollis, flaccidus, parvus, debilis: reliquæ functiones utcumque bonæ.

Eodem medicamento ac ante deligata sunt omnia, & jussi ut de camphora ipsi daret assistens meus, quantum absque incommodo ferre posset: metuebam enim jacturam oculi & labii inferioris ac alia teterrima mala, si serpentibus ulceribus non statim ponerentur limites.

Data est ipsi omni bihorio camphor. dr. ß. donec ea die unc. ß. absumpserit: noctu bene dormivit.

2 Septembris inflammatio oculi & palpebrarum minor: non serpunt ul-

cera : datur eadem medicamenti dosis ac heri, quam avide sumit.

3. Septembris ulcera multo pure bono tecta sunt ; hodie iterum camphoræ unc. ß. absumit, pulsus est minus flaccidus, pacatissimus, minime irritatus, qualem 4. Septembris cum pie defuncto Illustrissimo L. B. Gerardo *van Swieten* plures doctissimi Medici & Chirurgi invenerunt ; erat ubique magna & optima suppuratio ; labium inferius, carnibus in cavitate ulceris menti jam incipientibus recrescere, minus vacillabat, quare camphoræ tantum dr. iij. imposterum ægro quotidie datæ sunt, qui ultra unc. ß. per diem sumpsisset, si ipsi porrecta fuisset major dosis.

Quatuor primis diebus quater quinquies in die alvum copiosam dejecit ; quæ dein facta est naturalis, 8. Septembris inflammatio oculi & palpebrarum disparuerat.

Elapsis a suo in nosocomium reditu, binis mensibus ulcera carne impleta denuo cicatrice, exceptis tribus parvis plagis, lentis magnitudine genam sinistram occupantibus, obducta erant.

Æger dr. iij. camphoræ quotidie usque ad 16. Novembris absumpsit, qua demum ab illa iterum abstinuit. Pulsus

erat tunc plenus, solidus, dilatatus, naturales omnes functiones; ob consuetudinem vena secta sanguis optimus eductus est, & ab omni medicamento usque ad initium Decembris abstinuit: dein sanguinem depurantibus medicamentis denuo incœpimus uti, continuaturi diu.

Sub finem Decembris fit morosus homo, quod tam diu in nosocomio detineatur, & initio Januarii 1772. me inscio discessit, egregie quidem valens, sed binis parvis lenticularibus plagis genam sinistram occupantibus nondum integre cicatrisatis.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

FEMINA 60. annorum, valde torosa menstruis, quæ prima vice illi 13. annos natæ eruperant, & quamdiu durarunt sat regularia semper fluxere, jam a 20. annis orba, post exantlatam circa vigesimum ætatis annum febrim putridam exanthematicam crure dextro incœpit per intervalla dolere, quod brevi mole parum auctum est, & varicibus,

veſiculiſque aqua plenis, ſæpe renaſcentibus affectum.

Emanentibus menſtruis, demum in parte interna paulo ſupra malleolum exulceratum eſt crus, cum quo per 20. annos vitam doloribus & incommodis plenam duxit.

Anno 1769. crus incœpit mole valde augeri, & ulcus in omnem dimenſionem extendi, quibus ſenſim incrementum capientibus, femina præ doloribus & pondere cruris ad omnem motum inepta, reddita ad noſtrum noſocomium circa medium Octobrem anni 1770. delata eſt.

Crus erat duriſſimum, lividum, monſtroſe molle: femur minus durum, coloris naturalis multum quoque tumebat. Ulcus inferiorem internam cruris partem occupans, cavo ſuo magnum pugnum virilem capere facile potuiſſet, totum fuſcum, ſaniem fœtidam fundens, valde dolorificum, marginibus calloſis, crenatis. Cæterum ſat bene habebat femina.

Ægræ levamen adferendi, & quid in tam antiquo & difficili morbo poſſit camphora, experiendi cupidus, ejuſdem dr. j. per diem abſumendam, exhibito prius purgante, feminæ pulſum

mollem, parvum, debilem habenti præſcripſi, juſſique ut ulcus ſaturata mucilagine camphorata deligetur; tribus diebus elapſis, totum ulcus optime ſuppurabat, ſublatis integre doloribus præſcribitur illi formula N. 3. id eſt camphoræ dr. j. ß. per diem.

Hac methodo ad 13. Decembris continuata, crus multum mollitum eſt; cavitas ulceris ultra mediam partem renatis carnibus impleta, marginibus mollitis æqualibus.

Ob tarditatem alvi & abdominis tenſionem datur purgans quod vix operatur.

14. Decembris abſtinet a camphora & datur ipſi ſequens enema:

℞. Gum. arab. unc. j.
ſolv. in aq. pur. lib. j.
dein terendo admiſce.
camph. unc. ß.

Tepide quotidie injiciatur.

Prima die ſemel, ij. ter, iij. quinquies poſt enema, quod plerumque ultra bihorium abſque minimo incommodo retinet, valde copioſas fæces excrevit; ut tamen adhuc diutius retineatur, poſtea laudani puri gr. j. ſemper additur.

Hoc modo enemata adhuc per 9. dies

continuata sunt, quo tempore ægra absque virium jactura, quater, quinquies, subinde etiam septies alvum copiosam magno cum abdominis & cruris fere nunc ad volumen naturale redacti, collapsu exoneravit, appetitu valde aucto, pulsu solido, molli, minus debili, magis dilatato & reliquis functionibus bonis.

Sub horum enæmatum usu, nec minimum incommodum passa est ægra.

26. Decembris denuo incipit camphoræ dr. j. ß. sumere, & ulcus solito modo continuat deligari.

28. Januarii, anni 1771. superficies ulceris marginibus æqualis est; hinc inde cicatricis rudimenta conspiciuntur, nullus amplius in carnibus & integumentis tumor; ossa vero sunt paulo crassiora, quam in sinistro crure.

Continuatur camphoræ usus; interpolato subinde purgante.

Initio Martii totum latum ulcus excepta parte centrali floreni magnitudine cicatrice obductum est. Hucusque sumpta camphor dr. j. ß. ægræ nec minimum incommodum causavit; illam autem nunc nauseat; illius usui interno supersedetur, & superiori cruri incisione facta, forticulus paratur.

Adhuc parum minuta est ulceris superficies, quod licet eodem modo ac ante deligatum, integre cicatrice non fuit abductum. Ex nosocomio sub finem Maii anni 1771. haec femina sanissima dimissa est.

Casus Decimus quintus.

Vinitor 27. annos, natus, torosus, robustus 29. Novembris asseres navis fractae ex loco aquis inundato exportaturus in aquam descendit, in clavum pede sinistro impingit, qui inter ossa metatarsi digiti minimi & vicini pedem perforat, alte in dorso pedis extans; domum pedes absque dolore redit; nihil applicat; sequenti demum die pes incipit intumescere, dolere. Auctus sensim tumor & dolor totum crus occupat.

4. Decembris omnia sunt livida, frigida, sensu privata; Advocatus Balneator credit omnia perdita, nihil applicat.

5. Decembris ad nostrum nosocomium curru vectus advenit.

Crus totum & pes, ut prius jam dic-

tum, valde tumida, plumbea, frigida, insensilia, excepta parte popliti vicina sensu adhuc prædita; valde debilis est æger, respiratio lenta, tarda, laboriosa, pulsus debilis, parvus, flaccidus, creberrimus, inæqualis, irregularis; oculi luridi: cutis faciei collapsæ, tristis, ut & reliqui corporis, sordida, quasi pulvere fusco conspersa.

Digitus minimus jam totus putrefactus cultro a pede separatur; pes scarificatur & mucilag. N. 5. sicut totum crus omni trihorio tepide deligatur, datur ipsi omni 4. hora camphor. scr. j. sumendus.

6. Decembris respiratio paulo minus laboriosa videtur, & pulsus minus flaccidus; cæterum nulla mutatio.

7. Crus multum detumuit; livor illius minutus est, tepescit; sensus adhuc abest.

Pes multum collapsus, lividus adhuc est, caloris & sensus expers; partes scarificatæ humectantur; saniem fundunt, respiratio adhuc melior quam heri, pulsus solidescit, minus debilis est. Dantur omni 4. hora camphoræ gr. xxv.

8. Nulla mutatio; ob alvum a triduo

ſtipatam datur enema eleoſum quod multas fœces ſolidas educit.

9. Decembris aliquis ſenſus in crus & pedem redit; ſenſim magis collabuntur; omnia calent; livor diſparuit; loca ſcarificata magis humida; cutis ſordities diſparet; vires eriguntur; nullum a camphora incommodum; hinc illius dr. ß. omni 4. hora ſumat.

10. Crus coloris fere naturalis, fere integre collapſum eſt; calet, valde dolet, pes quoque calidus, valde dolorificus eſt, ſaniem mucilaginoſam fundit; pulſus eſt ſolidus, ſat fortis, plenus, minus frequens; reſpiratio libera.

11. Decembris loca pedis ſcarificata parum puris diluti dant; reliqua, ut heri; æger tamen melius dormit, & alvum ſponte quotidie deponit.

12. Suppuratio major fit in pede, dolores in crure ceſſarunt.

13. Pes valde ſuppurat, adhuc multum dolet, pus eſt dilutum, cinereum, deligetur poſtea eodem medicamento tantum bis de die, & cruri optime habenti nihil amplius applicetur.

14. Magna eſt ſuppuratio, pus paulo melius.

15. Pus copioſum, album, ſpiſſum

in locis scarificatis adest, vix amplius dolet pes, camphoræ magnam hanc dosin optime fert.

16. Decembris noctu optime dormivit, suppuratio ut heri, dolor vix ullus, appetitus magnus, pulsus omni nota bonus, reliquæ functiones omnes optime procedentes, media ossis metatarsi digito minimo respondentis pars cariosa est.

20. Decembris omnia optime procedunt, famem conqueritur æger, conceditur ipsi carnium facilis digestionis esus, & continuat camphor. dr. iij. quotidie absumere.

29. Decembris, quæ cariosa erat ossis metatarsi pars, hodie sponte separata est, ulcus dorsi pedis, separatis vel consumptis omnibus heterogeneis, purum est, & circumquaque incipit cicatrisari, omnes functiones bonæ sunt, vires crescunt, æger pergit nychtemeri spatio camphoræ dr. iij. absumere.

18. Januarii anni 1771. hucusque continuavit æger camphoræ dr. iij. sumere, illam nunc nauseat, duæ tertiæ ulceris partes cicatrisatæ sunt, usui interno camphoræ supersedetur, & continuatur externa illius applicatio.

14. Februarii febri petechiali epide-

mica tunc temporis valde graſſante corripitur, tertia morbi die jam eruperant petechiæ rubræ fuſcis intermixtis: 6. morbi die ſuppuratio in ulcere minus bona, ulcus dilatatur; loco aliorum medicamentorum, quibus in hoc morbo hucuſque uſus eſt, datur ipſi quotidie camphoræ dr. j. & ulcus pulvere camphoræ ſuperpoſitis deſuper plumaceolis ſiccis totum denſe tegitur, ſicque jam ſequenti die ſuppuratio melior erat, nec amplius poſtea aucta eſt ulceris ſuperficies.

10. Morbi die vix non omnes diſparuerant petechiæ, & æger inde valde anxius & debilis factus eſt.

11. Morbi die ſubito omnia ſymptomata diſparuere, æger videtur curatus, verum ecce apparet macula in externo inferiori labii inferioris parte ad radices dentium inciſoriorum faba majori amplior, livida, in os uſque penetrans, quæ cito aucta mariani magnitudinem eadem adhuc die æquavit, & pars marginis alveolaris cum dentibus mento reſpondens ad 9. circiter linearum longitudinem nigra eſt, dum interea æger bene habens de exantlato morbo valde gaudet.

Deligantur omnia mucilag. N. 5. &

dantur ægro camphor. dr. ij. per diem ſexpartita doſi ſumendæ.

Sic tridui ſpatio illa gangræna penitus ſeparata eſt, carnes deperditæ ſenſim reparatæ fuerunt; 8. Martii ulcus cicatrice jam incipiebat obduci, & ante finem Martii penitus cicatriſatum eſt, pes quoque perfecta cicatrice obductus eſt, æger a medicamentis abſtinet.

Circa medium Aprilis nobis invitis, vacillante jam oſſis parte corrupta, ex noſocomio diſceſſit, laboribus ſuis ruſticis operam daturus.

Casus Decimus sextus.

Femina 40. annos nata, menſtrua ſemper pauca & irregularia habuit, a juventute colore cachectico deturpata, ſcorbutica, frequentibus artuum doloribus obnoxia, crus dextrum a duodecim annis ulceratum habens, laboribus domeſticis utcumque ſemper ſuffecit: donec 3. Decembris per plateas incedens currus raptim prætervecti rota in crus ulceratum impingente in terram violenter præcipitata fuerit, unde ſtatim ingentes dolores urentes, lancinantes totum crus & femur occuparunt.

Accesserunt frequentes horripilationes, calores, sitis; & deletus est appetitus. Crus cito intumuit, rubuit: 6. Decembris lividum factum est, & ulcus incœpit siccescere, nigrum fieri.

10. Decembris anni 1770. illam curandam suscepi. Ulcus quatuor digitos transversos latum, totum crus paulo superius malleolis cingebat, gangræna nigra circumquaque occupatum hinc inde paucam saniem fuscam fundens. Crus valde tumidum, lividum, frigidum, paulo fortius pressum multum dolebat, faciei sordida cutis, oculi luridi, humidi: respiratio crebra, frequenter inæqualis, pulsus creberrimus, flaccidus, lingua humida, livescescens, sitis multa, sudor frequens, copiosus. Totum crus & ulcus mucilagine N. 5. deligatur, & ægra quadripartita dosi camphor. dr. j. quotidie incipit absumere.

11. Decembris crus valde dolet, collabitur, minus lividum est, calet: gangræna separatur, functiones vitales videntur in melius mutari.

12. Decembris gangræna integre separata ulcus purum est, dolores cruris valde leniti, sitis vix ulla; facies & oculi meliores, respiratio optima, pul-

ſus ſolidus, dilatatus, ſat fortis, apyretos, noctu fere per tres horas ſat pacate dormivit, alvus cocta mane ſponte ſeceſſit, ſudor multum minutus.

13. Decembris totum ulcus optimum pus dat, crus coloris naturalis fere integre collapſum, reliqua ut heri.

16. Decembris, omnia optime pergunt, appetitui renato major ciborum copia conceditur.

20. Decembris, ulceris optime ſuppurantis ſuperficies marginibus æqualis eſt, jam adſunt cicatricis rudimenta. Continuat camphor. dr. j. quotidie ſumere, & jam a quatuor diebus tantum bis de die, eodem ac ante, medicamento deligatur, ſudor nullus: omnes functiones bonæ.

18. Januarii, tota poſterior & lateralis ulceris pars bona cicatrice obducta eſt: & anterius magnos progreſſus facit cicatriſatio: ægra optime habens a camphoræ, quam optime tulit, uſu interno abſtinet: deligatio continuatur, ut ante.

10. Martii omnia cicatriſata, excepta plaga medii floreni magnitudine, cicatrix jam ab initio hujus menſis non pergit ulterius: quare hoc parvum ulcus

remaneat, mundetur diligenter, & ægra diæta vegetabili, quantum fieri poteſt, utatur.

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

PUELLA ruſtica 26. annos nata, ſanguinei temperamenti, toroſa, robuſta, poſt exantlatum in infantia morbum varioloſum & morbilloſum ſemper ſana, menſtruis debite ſemper gaviſa, ante quatuor annos febri putrida, qua multi in ſuo & vicinis pagis mortui ſunt, correpta eſt.

Finito morbo intumuit pes dexter circa malleolos uſque ad ſuram abſque dolore. Hic tumor permanſit: menſtrua denuo debitam periodum ſervarunt, & ægra ſana vixit, laboribus egregie exercitata.

Menſe Auguſti anni elapſi in paludoſum locum, aqua ſtagnante plenum, deſcendit gramen procerum ibi creſcens collectura: in palude ſtanti viſus eſt ſibi momorſus fuiſſe circa malleolum internum pes dexter, qui ab eo tempore incœpit dolere & ſenſim cum parte inferiore cruris mole magis auctus brevi infra malleolum exulceratus eſt.

Malum ad omnia applicata ſemper fuit exacerbatum, quare ſub finem Septembris anni 1770. egregium Chirurgum in ipſius vicinia degentem advocavit puellæ herus, qui per tres menſes optima medicamenta ſolventia, antiſeptica & ipſum corticem peruvianum in & externe applicuit: ſub quorum uſu ulcus fœtidiſſimum evaſit, & omnia continuarunt in pejus ruere: quare de cura puellæ deſperans, illam curru ad noſtrum noſocomium 17. Decembris anni 1770. advexit, & totam morbi hiſtoriam nobis enarravit.

A media ſura uſque ad plantam pedis omnia tumore fuſceſcente, magno, dolente, elaſtico, circumquaque diſtenta ſunt: internam cruris partem ulcus, cujus centrum ſupra malleolum eſt, occupat cancroſum, in fungum ſolidum, nigreſcentem, alte elevatum: margines calloſi, retorridi ſunt, & totum ulceris ambitum phlyctenæ magnæ, nigræ, ſanie atra plenæ occupant.

Reſpiratio valde inæqualis, irregularis, celeris, crebra, ſublimis, modo etiam profundior, anxia ſemper: dextra carpi arteria tenuiſſima, quaſi membrana conſtans, flacciddiſſima videtur aerem tantum vehere. Pulſus ſubinde tenſus, creberrimus,

creberrimus, celerrimus: ut intra horæ minutum 130. pulsationes numeraverim, nec omnes numerando assequi potuerim: in sinistro brachio arteria plenior aliquam soliditatem absque tensione servat: sitis multa: lingua sordibus cinereis obsita: facies fuligine conspersa: oculi luridi, tristes: decubitus supinus; sudores copiosi, tenues, fere continui.

Quinta vespertina incipit omni quadrihorio camphoræ scr. j. sumere: & omnia mucilag. N. 5. deligantur: apparatu omni tertia quartave hora renovando, nox sequitur inquieta.

18. Decembris, ulcus minus fœtet: respiratio videtur paulo melior: camphoram bene fert. Circa meridiem incipit illius dr. ß. omni quarta hora sumere.

19. Respiratio tantum majori frequentia peccat. Pulsus solidescit, minus præcipitatus est: ulcus multum saniei fundit: nigredo nulla: dolor in ulcere & crure magnus.

20. Decembris ulcus totum, excepta media parte fungi, pus dilutum, flavum dat: fœtor omnis disparuit; in parte posteriori ulceris prope marginem separatis gangrænosis subjacentibus profundum cavum, ovum calumbinum facile capere potens, in quo tendo de-

nudatus oculis patet, factum est: prope marginem inferiorem versus tibiam fungus speciem cartilaginis mobilis duarum fabarum basibus suis connexarum magnitudine includere videtur: labia ulceris molliuntur: minus retorrida fiunt. Nox fuit pacatior; facies & oculi naturales; lingua pura; sitis nulla; vires eriguntur; respiratio est fere naturalis; pulsus est solidus, mollis, plenus, liber, & 94. pulsationibus horæ minutum absolvit; urina bona; alvus naturalis & appetitus redit; cutis mollis, perspirans; sudor rarus & paucus.

21. Decembris omnia bene pergunt, pulsus 83. pulsationes intra horæ minutum habet.

22. Decembris posterior labii ulceris huc usque retorridi, exterius fungosi, intus durissimi pars suppuratione multa incipit consumi, suppurat quoque tota fungosa ulceris excrescentia. Pulsus dilatatus, regularis, solidus, 80. pulsationes intra horæ minutum habet: respiratio optima: cutis mollis: sudor nullus: vespere post assumptum medicamentum capitis gravitatem & vertiginem conqueritur: hinc tantum camphoræ scr. j. omni quarta hora datur.

25. Decembris, omni nocte sat bene

per plures horas dormit: crus & pes detumuerunt, colore naturali prædita ſunt: labium poſterius ulceris ſuppuratione penitus conſumptum eſt: circumcirca ſuppuratio bona eſt, quæ ſupra fungoſam excreſcentiam diſparuit: ſub illa autem ſerpens ſuppuratio partem unam fungoſitatis poſt alteram forma membranularum flaccidarum ſeparat: cartilago antedicta in fragmentula cylindrica tangentem digitum pungentia, flexilia, acicularum figura, N. 12. vel 13. diſſiliit.

Ægra pergit quoad omnia ſemper melius habere.

28. Decembris, foramen antea dictum prope labium poſterius ulceris ſuperficiei renatis carnibus æquale eſt: ſed ſeparato fungoſo aliud hodie in parte anteriori inferiori ulceris, quod nucem juglandem capere poſſet, adeſt, ubique ſuppurans: huic foramini ſuperius adjacent duo tubera mediam nucem juglandem æquantia, unum album, molle: aliud carneæ ſoliditatis rubellum, fungoſitas ulceris ſuperficiem tegens continuat ſuppuratione, ſubtus ſerpente lamellatim ſeparari: labia antea retorrida fere in toto ulceris ambitu conſumpta.

2. Januarii labiis ulceris penitus consumptis cicatrix nascens circumquaque conspicitur: fungositas ulceris integre separata est: tota ulceris superficies pus sat spissum, sed flavescens dat. Ægra post assumptam camphoram angitur; vertiginosa fit. Pulsum habet hominis plethorici, bene habentis: omnes functiones sunt sanæ: abstinet a camphoræ interno usu, quæ externe ut ante continuat applicari.

10. Januarii, cicatrix circum ulcus nata jam ad tres lineas versus ulceris centrum se extendit: media ulceris pars excrescit; omnes functiones bonæ, datur quotidie enema N. 6.

Continuat enemate uti usque ad 19. Januarii: alvus deponitur quotidie ter, quater, non obstante addito laudani puri. gr. j. ulcus in medio continuat parum excrescere, & cicatrix non augetur; quoad reliqua sanissima est ægra; missum fit enema.

Applicatur vespere ulceri pulveris camphoræ densum stratum & plumaceolis siccis tegitur: jubetque Dominus Wallner ut aliquis ex suis ægræ adstet, qui illum moneat, si ægra vel nimio dolore vel aliquo alio malo symptomate corripiatur, ut statim omnia auferantur;

verum ægra, nunquam doloris a multo tempore expers, per mediam horam grati caloris ſenſum paſſa, placide obdormivit: ſomnuſque ultra novem horas protractus eſt ſequenti die optima in ulcere, & multo copioſior ſolito aderat ſuppuratio ſic quotidie ſemel deligatur ægra. Cavitas antedicta ſenſim impletur: tubercula conſumuntur: cicatrix, pergente magna ſuppuratione, cito augetur, & 15. Februarii ulcus perfecte cicatriſatum eſt. Initio Martii menſtrua debita quantitate denuo fluxere & puella ſaniſſima paulo poſt diſceſſit.

Casus Decimus octavus.

PUELLÆ 22. annorum 15. ætatis anno prima vice menſtrua erupere, quæ ſemper irregularia fluxerunt.

19. Ætatis annum agens, acuta febri correpta diu decubuit: ac anno 1769. circa medium Maii febri intermittente irregulari, modo quotidiana, modo tertiana, incœpit laborare, quæ ſub finem Julii ſponte ceſſavit, & ab eo tempore puella minus bene habuit.

Menſe Maii hujus anni febris tertiana regularis illam invaſit: cujus per-

tæsa post tertium paroxysmum piper pulverisatum vino dilutum hausit : ab hoc pulvere violenter & sæpe vomuit, & emansit febris : sed ab eo tempore omni septimana bis, terve parvas narium hæmorrhogias passa est.

13. Decembris in tumore ovum gallinaceum æquante, cujus originis tempus ignorat ægra, & circa arcum 4. & 5. Costæ veræ postrorsum situs est, incœpit tensionem & dolorem leniter pungentem pati; dolor hic cito valde augetur. 15. Decembris post meridiem accessit magnum frigus cum valido tremore, quæ per quatuor horas durarunt, & locum fecerunt calori urenti, qui circa matutinum tempus lenior evasit.

16. Decembris ad nos defertur : febris est sat magna, respiratio frequens, celeris : totum pectoris latus sinistrum tensum, rubrum, dolens : tumor arcum costarum occupans in apicem elevatur, mollitur. Dantur decocta demulcentia & toto sinistro lateri applicatur cataplasma emolliens : sic 17. & 18. continuatur.

19. Manifesta in tumore toto molli adest fluctuatio : tensio & rubor circumjacentium integumentorum disparuit : respiratio melior : febris ut ante :

aperitur tumor : effluit ingens copia puris viridis, tenuis, fœtidi, quod a sterno ad cavum subaxillare & circa mammam fere usque ad claviculam sub integumentis ingentem sinum fecit. Datur cortex peruvianus : fiunt injectiones ex decocto corticis peruviani, aliis antisepticis & depurantibus usque ad 27. Decembris : inde nihil in melius mutatur : materies effluens æque mala ac ante : febris eadem : pulsus est mollis cum aliqua tensione, videturque subinde fere vacuus.

27. Decembris missa fiunt priora medicamenta : dantur ægræ quater in die camphor. gr. xv. in sinum injicitur mucilago N. 5. & integumenta linteis eadem mucilagine imprægnatis teguntur : id bis in die repetitur.

Ab usu camphoræ jam prima die dolores valde leniti, & 29. Decembris ex ulcere & sinibus pus spissum, album, inodorum exit.

5. Januarii 1771. appetitus viget : sitis nulla : pulsus & respiratio sat naturales : dolor nullus, nisi sub deligatione : somnus melior, quam ante ; reliquæ functiones bonæ.

7. Januarii circumquaque minuitur sinus, & pergit optimum pus dare.

18. Januarii de ſinu nihil ſupereſt: ulcus coaleſcit: color cutis melior, vividior: continuat eandem, ac ante, camphoræ doſin ſumere.

28. Januarii ulcus coaluit: puella quoad omnia ſana eſt, & paulo poſt ad ſolitos labores redit.

Casus Decimus nonus.

ILLUSTRIS & antiquiſſimæ Proſagiæ vir quadraginta aliquot annos natus, a 21. annis militiæ operam dans, morbis venereis ſæpe affectus, mercurio varie applicato ſemper, ſaltem apparenter curatus, ſub finem Januarii anni 1771. curat me vocari.

Refert ſibi ante ſeſqui-annum in ſuperiori dextra naſi parte ſponte erupiſſe puſtulam, quæ ſcalpendo irritata ſtatim incœpit in fungum excreſcere.

Advocatus Chirurgus excitata per frictiones mercuriales ſalivatione & lapidis infernalis applicatione malum auferre conatus eſt: verum inde irritatum citius excrevit, nulli medicamento cedens: quare 14. Julii anni 1770. a doctoſſimo & expertiſſimo Chirurgo amputatus eſt tumor: ulcus autem nullis

medicamentis potuit ad cicatricem duci, & incœpit denuo excreſcere, incaſſumque fuere omnia, quæ poſtea applicuit.

Dum illum in curam ſuſcepi, pedunculo brevi, cujus circumferentia duodecim lineas æquabat, maſſa cancroſa, fuſca, undequaque ulcerata saniem acrem fundens nucis juglandis magnitudine inſidebat: integumenta adjacentia ad trium quatuorve linearum latitudinem eroſa erant. Cœterum æger, toroſus, viribus optimis gaudebat, pulſus ſat plenus, fortis, liber, minime febrilis.

Camphoram quacumque forma datam doſi etiam valde remiſſa non tulit: aiebat ſibi poſt quamlibet doſin caput tendi, rigidum & vertiginoſum fieri: hinc ſola externa mucilag. N. 5. applicatione curam tentare coacti fuimus.

Tertia die ab applicatione medicamenti, optima ubique ſuppuratio aderat, quæ abſque interruptione continuavit.

26. Februarii, ulcus integumentorum circum excreſcentiam cancroſam coaluerat: hæc autem licet continuo ſuppurans lente minuebatur: quare vocatus expertiſſimus Wallner, noſocomii noſtri Chirurgus ordinarius, cum

domino Liegle ordinario ægri Chirurgo, ægrum invisit. Crassis linteis carptis convolutis speciem chordæ laxæ fecit, qua mucilagine camphorata imprægnata latum pedunculum ligavit: chorda hæc quotidie mucilagine camphorata humectata sensim quotidie magis constricta est: pedunculus & inferior fungi pars multum copiosa suppuratione consumpta sunt, & 16. Martii tota massa excidit superius gangrænosa facta, & ulcus reliquit mariano majus, cui quotidie semel densus inspergitur camphoræ pulvis, superposito desuper plumaceolo sicco.

Hac methodo ante finem Aprilis perfecta & firma cicatrice obductum est ulcus, & hucusque manet curatum.

Casus Vigesimus.

VIGES. TERT. Annorum juvenis 24. Februarii anni 1771. ad nos delatus est.

Quantum ex ipsius narratione colligere potui, 12. erat febris petechialis epidemicæ dies, quam in itinere ex Austria superiori Viennam versus contraxerat: totum pedem dextrum circa nonum morbi diem livor, insensilitas

ſubito occupaverant : omnes pedis digiti gangræna nigra , ſicca affecti erant & tantum ſupra malleolos calor & ſenſus aderant. Totum corpus petechiis nigris obſitum erat : arteria flaccida , fere vacua , lente & cum debilitate digitum feriebat : reſpiratio videbatur naturalis.

Datur ipſi omni bihorio diei camphor. ſcr. j. ut quotidie dr. ij. abſumat , & totus pes mucilag. N. 5. diligenter fovetur.

25. Februarii color pedis minus lividus , pulſus minus flaccidus.

26. Dolores in dorſo pedis conqueritur , digiti hinc inde ſaniem fundunt , pulſus ſenſim melioratur , multæ petechiæ colorem rubrum induunt , faciei & oculorum color nitidior , alvus & urina naturales.

27 Omnes digiti multa ſanie hinc inde pure mixta diffluunt , ultimæ phalanges digiti minimi , vicini & pollicis nigræ , totus pes dolet , calet , coloris naturalis eſt , pulſus ſolideſcit , vires acquirit , fere omnes petechiæ flavent.

28. In omnibus digitis nigredo diſparuit , adeſt magna ſuppuratio , omnia ſenſim continuant in melius verti.

2. Martii multæ petechiæ diſparuere , reliquæ omnes palleſcunt ; pulſus eſt ſat

plenus & fortis, ſolidus, pacatiſſimus; reliquæ functiones bonæ.

14. Martii, ultima phalanx digiti minimi & vicini ſponte exciderunt, & levi adhibita vi remedia pars phalangis ultimæ pollicis ſeparata eſt, æger optime habet, nauſeat camphoram, aitque ab illa ſibi caput grave fieri, hinc dentur tantum quater in die illius gr. xv. quæ iterum libenter ſumit, valde appetit, quare præter alia alimenta carnes ipſi conceduntur.

29. Martii, ſecundus & tertius digitus cicatrice obducti ſunt, reliqui optime continuantes ſuppurare, incipiunt cicatriſari. Miſſus fit internus camphoræ uſus, & datur omni octiduo lene purgans; deligatio fit ut ante.

20. Aprilis omnes digii, except pollice, cicatrice obducti.

10. Maii omnia cicatriſata ſunt, & æger optime habens brevi poſt dimiſſus eſt.

CASUS VIGESIMUS PRIMUS.

PISTOR toroſus, robuſtus, 28. circiter annos natus, circa medium Januarii anni 1771. in ſuperiori externa dextri

cruris parte phlegmone correptus est, quæ in suppurationem abivit, diu malum flocci fecit robustus homo, donec incedere non amplius potens ad aliquod hujus civitatis nosocomium sub finem Februarii curavit se deferri, ubi 2. Martii, facta superius prope genu incisione, apertus abscessus multum puris tenuis, flavi dedit, apertura post 10. vel 12. dies coaluit, & inde exivit, crure adhuc tumido, tenso, debili.

Solitos labores denuo aggressus est, & utcumque peregit usque ad 26. Martii ejusdem anni, qua saccum magnum farina plenum humeris portans subito circa articulationem ossium cruris dextri cum ossibus tarsi omnia integumenta disrupta sunt, unde in terram cum onere suo cecidit.

Varia curavit applicari herus illius per 4. dies absque effectu, & rebus ad pessimum statum redactis illum trigesima Martii ad nostrum nosocomium transferri curavit.

Circum totam cruris cum tarso articulationem omnes tendines, & etiam ipse tendo achillis ad trium digitorum transversorum latitudinem nudi, laxi, elevato crure pes in omnem partem collabebatur, quasi tantum filis laxis elon-

gatis cruri adhuc hærens, crus & pes valde tumida, livida, pes insensibilis, frigidus; crus adhuc parum calet, & attactum percipit: ulcus circumquaque nigram saniem fundens supra malleolum externum apertura erat communicans cum sinu per totum crus, excepta parte posteriore interna pollicem lata, sub integumentis fere usque ad genu decurrente & ichorem fœtidum fundente.

Respiratio est lenta, tarda, inæqualis, arteria tenuis, quasi aerem rarefactum continere videtur, pulsus est lentus, tardus, debilis, inæqualis: color faciei & reliquæ cutis sordidus, fuliginosus: oculi languidi, luridi.

De ægro actum esse credimus omnes, datur tamen omni trihorio camphoræ dr. ß. ut dr. ij. in die absumat, totus sinus cruris, quod exterius fomento antiseptico diligenter foveri jubetur, mucilagine N. 5. impletur: ulcus & pes eadem mucilagine sæpius renovanda teguntur.

31. Martii nil in deterius vertitur, imo respiratio melior videtur.

1. Aprilis livor cruris & pedis disparuit, nigra ab ulcere separantur, ex sinu cruris pus effluit, vix amplius fœtens, tenue tamen adhuc & flavum.

Respiratio æqualis, pulsus paulo melior est.

2. Aprilis, ulcus purum est, hinc inde suppurat, sinus cruris sensim pus melius dat, tumor cruris & pedis minuitur, calor & sensus in pedem redeunt, facies & oculi vividiores, nitidiores. Alvum coctam sponte deposuit, pulsus solidescit, vires acquirit, magis æqualis est, minime febrilis. Fomenta continuentur, injectio & deligatio cum mucilagine camphorata tantum bis in die fiant, & pergat æger quotidie camphor. dr. ij. absumere.

3. Aprilis pus copiosum, optimum ex cavo cruris effluit, ulcus optime suppurat, multæ fibræ tendineæ abscedunt, separantur, & omnia continuant in melius mutari.

6. Aprilis, sub continua optima suppuratione corruptæ tendinum partes continuant febrillatim separari, carnes recrescunt, minuitur ulceris superficies, sinus cruris minus injectionis capit, pulsus impletur, solidus, æqualis est, appetitus redit, reliquæ functiones sunt naturales.

2. Aprilis, crus & pes colore & volumine omnino naturalia sunt; ulcus carnibus renatis impletum, nullus am-

plius tendo jam ab aliquot diebus oculo patet, circumcirca cicatricis rudimenta adſunt, cavum cruris vix tertiam prioris injectionis partem recipit. Omittitur fomentum, hujus loco linteis ſiccis involvitur crus; ulcus more ſolito deligatur, pergit æger eandem camphoræ doſin ſumere, ac ante.

4. Maii ulcus totum cicatrice obductum eſt, excepta parte illa, quæ aperturæ ſinus cruris, jam fere evanidi & tantum parum puris optimi nunc dantis ſubjacet. A medicamento abſtineat, cibi copioſiores & ſolidiores ipſi porrigantur.

12. Maii, omnia conſolidata ſunt, incipit cruri inſiſtere.

Initio Junii ſanus, optimo cruris & pedis uſu gaudens dimittitur.

Casus Viges. Secundus.

Puella 12. annorum, 5. Decembris 28. variolarum confluentium die ad noſtrum noſocomium veſpere defertur.

Frigus cadaveroſum in toto corpore erat, totam faciem cruſta nigra, denſa, quæ jam ter exciderat, & ſemper renata fuerat, occupabat; totum corpus con-

fertis variolarum vestigiis profunde excavatis, ſicco quaſi muco obductis deturpatum, cadaveris jam putreſcentis ſaturatiſſimum, fœtorem ſpargebat, reſpiratio erat rara, tarda, inæqualis, ſtertoroſa; pulſus flaccidiſſimus, ſæpe vix perceptibilis, brevi animam efflatura creditur, quare præter gratum cardiacum & juſcula nihil præſcribitur.

6 Decembris, cum illam adhuc viventem & utcumque liquida deglutientem mane invenerim, juſſi ut omni bihorio camphor. gr. xv. ut per diem dr. ij. abſumat, porrigantur; faciei, manibus valde exeſis & omnibus corporis ulceribus omni trihorio lintea mucilagine camphorata dilutiori imprægnata applicantur, interpoſito ſubinde carnium juſculo, ſpiritu vitrioli acidulato.

7. Decembris videtur reviviſcere; dictam camphoræ doſin facile ſumit, & bene fert.

8. Decembris totum corpus naturalis calor pervaſit, nec minimus fœtor amplius obſervatur: omnia ulcera optimo pure ſcatent, ſtertor diſparuit: pulſus & reſpiratio ſenſim meliores fiunt, cruſtæ omnes deciderunt.

11. Decembris, ulcera manuum cicatriſata ſunt, magna pars faciei jam

cicatrice obducitur, reliqua optime suppurant, pulsus est sat plenus, solidus, liber, æqualis, respiratio optima, sola se in lecto erigit, juscula acidula nauseat: hinc acidum omittatur & sumat tantum sexies in die camphor. gr. x.

18. Omnia continuo in melius vergunt, abstineat a medicamento.

25. Decembris omnia ubique ulcera cicatrice obducta sunt, optime valet; per cubiculum deambulat, functiones omnes optimæ, conceduntur ipsi carnes.

Cum utroque parente orbata esset, servata est in nosocomio per binos menses, ubi semper bene habuit, & postea sanam aliqua civis misericordia mota suscepit.

Casus Viges. Tertius.

LOTHARINGA femina, 2. Decembris anni 1771, ad nostrum nosocomium cum puella ægrotante, nondum quartum ætatis annum emensa, venit.

15. Dies erat ex quo cum frigore anxietate & subsequente calore, postea continuo, incœperat ægrotare.

Quarta morbi die variolæ discretæ

confertim per totum corpus eruperunt.

Navi Viennam ſeptima morbi die advecta ægra diu noctuque ſubdio aeri frigido & humido abſque ullo auxilio expoſita fuit, & 8. morbi die, omnes variolæ exceptis 14. quæ in trunco remanſerunt, fere ſubito diſparuere, parvula ſtatim delira facta eſt, & quoad omnia miſerrime habuit, manſit tamen abſque auxilio, donec ad nos delata fuerit.

Continuabat delirium, pulſus erat mollis, valde febrilis, reſpiratio laborioſa, anxia, ſtertens, debilitas magna, totus corporis habitus tam dolens, ut ad levem attactum ejularet parvula: lingua glabra, ſicciſſima, reſiduæ variolæ ſuppuratæ latas & profundas foveas fecerant.

Applicantur ſuris bina veſicantia, enemata emollientia injiciuntur, præſcribuntur medicamenta demulcentia, diaphoretica, expectorantia, leniter antiſeptica, quibus abſque levamine per tres dies adhibitis, 5. Decembris ſequens præſcribitur medicamentum.

℞. Aq. flor. tiliæ unc. iv.
ſpirit. vitriol. gtt. xv.
cort. peruv. ſelectiſſimi.
ſubtiliſſime pulveriſati dr. ij.

syrup. althææ unc. ij.

M.

S. nychtemeri spatio absumat & decocto pectorali simul utatur, sic ad 8. Decembris absque minima in melius mutatione continuavimus, imo reliquis malis symptomatibus accessit pulsus flaccescentia, magna irregularitas, & vires ita collapsæ sunt, ut morti proxima videretur, quare missis aliis medicamentis sequentem præscripsimus mixturam.

℞. Gumm. arabic. dr. ij.
solv. in aq. flor. tiliæ unc. iv.
dein terendo diligenter admisce
camphor. scr. iv.
syr. capill. vener. unc. ij. ß.

d. u.

Ut divisis dosibus quotidie absumat.

9. Decembris, pulsus jam minus malus est: stertor tantum per intervalla auditur, delirium minus: alvus, quæ toto tempore quo apud nos jacet, quotidie quinquies, sexies secessit, liquida, valde fœtens, minus fœtet, minus frequens est.

10. Decembris, pulsus solidescit, plenior fit, sat regularis est, modice tantum febrilis, disparuit stertor, respiratio facilior, liberior est: delirium nullum, alvus naturalis est, lingua humescit;

cutis, ut ante, absque sudore mollis: sæpe bene dormit: ulcera a variolis relicta humescunt, suppurant, teguntur parvis emplastris.

13. Omnia continuant optime procedere: vires ita crescunt, ut hodie sola se in lecto erigat, & sat diu sedens maneat: optimus est appetitus dolor totum corporis habitum antea occupans, fere integre disparuit, lingua est pura, sudor nullus, alvus naturalis. Continuat eandem medicamenti dosin sumere.

17. Decembris, omnes functiones sunt naturales, excepta excretione alvi, quæ denuo incipit hodie frequentior fieri, missa fit camphora & alvus sibi relinquitur.

21. Decembris, alvus aquosa quotidie quinquies, sexies continuat secedere, abdomen fit dolorificum: subinde tussit ægra. Datur decoctum salab. cum bolo armena & syr. diacod. quod per 5. dies continuatum omnia ad statum pacatum naturalem reducit.

Parvula ob excedentem paupertatem & defectum azyli ultra duos menses in nosocomio servata, brevi vires recuperavit & sana mansit.

Casus vigesimus quartus.

Puella 13. annorum, 19. Decembris mane alternantibus frigore & calore cum frequenti vomitu, capitis dolore & magna totius corporis lassitudine corripitur, circa vesperas cessante frigore & vomitu reliqua continuant symptomata, sumit emeticum, 23. ad nos defertur.

Valde debilis est: de ventriculi & capitis doloribus conqueritur, alvus est laxa, urina naturalis: lingua humida, lurida, facies & oculi tristitiam exprimunt. Sitis mediocris: appetitus nullus, cutis mollis, flaccida, maculis latis figuræ irregularis, fuscis obsita: inter quas multæ aliæ maculæ minores rubræ interspersæ sunt, respiratio naturalis: pulsus debilis, flaccidus, vix febrilis.

Datur infuso decoctum ex emollient. & leniter aromaticis cum spiritu vitrioli. Nox sequitur insomnis.

24. Decembris mane loco macularum rubrarum inter fuscas petechias papulæ minimæ assurgere videntur, quas variolas futuras suspicamur: pulsus est valde febrilis, debilis, fere vacuus, subinde tensus, tussicula frequens,

lingua ſordida, alba, reliqua ut heri. Loco prioris medicamenti dantur illi omni bihorio camphor. gr. x. ut per diem dr. j. ſumat.

25. Papulæ non creſcunt: petechiæ immutatæ permanent: urina fuſca poſt aliquot horas ſedimen copioſum furfuraceum, flavum, flocculis lanuginoſis mixtum deponit: reliqua ut heri. Dantur per diem camphor. dr. ij.

26. Variolæ diſcretæ milii parvi habent magnitudinem: petechiæ multæ rubent: alvus bis, ter in die laxa ſecedit: urina bona: lingua pura: cutis mollis, perſpirans: tuſſis nulla: pulſus minus debilis, vix amplius febrilis, ſoliditatem acquiſivit: facies incipit parum tumere.

27. Variolæ elevantur ſphæricæ, rubentes: omnium circumferentia rubra: in facie, jam valde tumida, ut vix oculos amplius aperire poſſit, incipiunt ſuppurare: pulſus bonus, tantum 78. pulſationes intra minutum horæ habet. Petechiæ omnes rubent. Paucis, morbus varioloſus ſtadia ſuppurationis & exſiccationis abſque febre ſecundaria benigniſſime percurrit: & 31. Decembris de petechiis nihil amplius ſuperfuit.

6. Januarii, ex facie, trunco & artubus ſuperioribus cruſtæ omnes exci-

derunt: in artubus inferioribus pustulæ omnes exsiccantur. Missam facimus camphoram: ægra sumit lene purgans, quod 12. & 15. Januarii repetitur: omnes crustæ nullis relictis excidere foveis: puella optime habens ad suos remittitur.

CASUS VIGESIMUS QUINTUS.

PUELLA 24. annos nata, sexta Octobris 1772. ad nostrum nosocomium venit.

Prima ipsi 14. ætatis anno erupere menstrua, copiosa & regularia, donec 15. fere annos nata absque nota causa emanserint. Non diu post menstruorum cessantium periodum febri acuta correpta est, ex qua multis ut ait venæ sectionibus & paucis assumptis medicamentis post tres circiter septimanas evasit.

Mense circiter ab exantlato morbo elapso denuo rediere menstrua copiosiora & minus regularia quam ante, utpote sæpe bis quatuor septimanarum spatio, modo per tres quatuorve, sæpius per octo dies copiose fluentia: donec viginti annos nata denuo acuto morbo affecta fuerit, a quo iterum aliquot venæ

venæ sectionibus adhibitis & quibusdam medicamentis assumptis post tres quatuorve septimanas perfecte fuit restituta.

Post hunc ultimum morbum menstrua evacuatio irregulari tempore semper accessit, fuitque multo paucior solito: puella pinguescere cœpit, & cito valde obesa facta est.

22. Ætatis annum agenti tumor mobilis nucem juglandem æquans ipsi supra superiorem externam brachii superioris dextri partem ortus est, qui sensim mole absque dolore increvit, & quem frustra multis remediis in & externe applicatis conata est auferre.

28. Annos nata incœpit emaciari, & dum ad nos venit, valde emaciata erat, cuti residuisque carnibus per totum corpus laxissimis, pendulis: coloris cachectici flavo-viridis. Tumor magnus, mollis superiori brachio latâ basi insidebat mobilis.

6. Octobris datum purgans: 7. quievit; 8. tumorem atheromatosum peritissime & cito coram celeberr. Chirurgiæ professore Leber, multis aliis Chirurgis & Medicis enucleavit expertissimus nosocomii Chirurgus Wallner. More in talibus casibus solito deligatum est vulnus: bona diæta, medicamenta de-

mulcentia, paregorica præſcripta ſunt.

11. Octobris nulla adhuc ſuppuratio: præter reliqua dantur ægræ quater de die decocti lignorum unc. iv. unguento digeſtivo admiſcetur unguentum de ſtyrace, & ulcus fomento corticis peruviani & aliorum antiſepticorum diligenter fovetur.

15. His non obſtantibus tantum ſeroſum quid loco puris ex ulcere effluit. Datur quater de die cort. peruv. dr. j. quam difficile ſumit.

20. Octobris totum ulcus gangræneſcit: corticem cum nauſea ſumit, & ſubinde vomit: pulſus eſt valde febrilis, irregularis: reſpiratio crebra, celeris, anxia, &c. ſaturatiſſimo corticis peruviani decocto, cui aliæ herbæ antiſepticæ infuſæ erant, deligatur ulcus, & eodem diligenter fovetur.

21. Omnia continuo in deterius vergunt; vix amplius poteſt perſuaderi, ut corticem ſumat.

22. Octobris quomodocumque datum corticem evomit: delirat: facies collapſa, ſordida, fuliginoſa: oculi in orbitis profunde hærent luridi, triſtes: lingua nigra, aridiſſima: ſitis nulla: decubitus ſupinus: reſpiratio valde laborioſa, crebra, irregularis, ſæpe ſublimis:

pulsus creberrimus, celerrimus, ut impossibile sit pulsationes numerare, summe inæqualis, irregularis, vacuus: arteria modo flaccidissima, modo leviter tensa: calor urens: summus virium collapsus: ulcus duas tertias brachii partes ambiens, cujus mensura perpendicularis ab humero versus cubitum fere quinque pollices parisinos æquat, gangræna nigra sicca totum occupatum est: totum brachium & manus valde tument.

Dantur omni trihorio camphoræ gr. xv. ut per diem dr. j. ß. sumat. Ulcus linteis carptis mucilag. N. 5. fortiori impraegnatis ter de die renovandis, admoto sæpius fomento calido ter de die deligatur.

23. Respiratio videtur paulo melior.

24. Ulcus humescit: superius parum puris diluti dat: pulsationes arteriæ sunt magis distinctæ, minus præcipites: respiratio magis regularis, minus difficilis: calor blandus, non urens. Pulvere camphoræ totum ulcus tegitur applicata desuper mucilagine, apparatu bis in die renovando: & totum brachium fomento calido involvitur sæpe applicando.

25. Vespere, in superiori ulceris parte

ſeſqui-pollicis magnitudine magna ſuppuratio adeſt : in reliquo ulcere omnia nigra, ſed humida, ſaniem multam fundentia : in toto ambitu ulceris rima adeſt, quaſi cultro profunde inciſa gangrænoſum a ſanis ſeparans, reſpiratio eſt libera, crebrior tamen adhuc & celerior naturali : pulſus ſat ſolidus eſt, liber, regularis, dilatatus, ſat fortis, multo minus febrilis. Facies & oculi reviviſcunt : ceſſavit delirium : alvus ſponte deponitur cocta : cutis mollis, perſpirans eſt.

26. Omnia ſeparata, excepta parva plaga in parte ulceris inferiori.

27. Omnia pura optimum & copioſum pus dant : ſed reſidua poſterior integumentorum pars, ulceri reſpondens, conſumpto panniculo adipoſo a ſubjectis muſculis tota abſcedit, excepta parte media pollicem medium lata cum ſubjacentibus adhuc cohærente. Tendo bicipitis nudus eſt, & magna deltoidis pars conſumpta.

28. Pulſus ſolidus, mollis, liber, apyretos : reſpiratio naturalis : omnia in melius mutata; pergit eandem camphoræ doſin quotidie ſumere.

30. Tendinis bicipitis filamenta multa abſcedunt, ſeparantur ; omnia bene

procedunt. Cum valde magna ſubſtantiæ deperditio facta ſit, denuo ſola mucilag. N. 5. deligatur, ut citius renatis carnibus cavum impleatur: cavitati ab abſcedentibus integumentis factæ & multum ſuppuranti idem medicamentum immittitur.

12. Novembris, totum brachium detumuit: ulceris ſuperficies integumentis parallela eſt; ſed in illo tres excreſcentiæ ſeptenarii magnitudine, cinerei coloris ſunt: quare plumaceolis mucilagine camphorata imbutis camphoræ ſtratum inſpergitur, ulceri applicandum, ut bona ſuppuratione eo ſecurius conſumantur. Cavum inter muſculos & integumenta abſcedentia minuitur, purum eſt: nulla amplius plumaceola interponuntur, ſed tantum inſtillatur mucilago & leni preſſione ſibi vicina retinentur: in ſuperiori ulceris parte cicatrix jam incœpta eſt: ægra quoad omnia in melius pergit mutari; perfecte apyretos eſt, & quotidie camphor. dr. j. ß. abſumit.

16. Novembris pes & crus ſiniſtrum prægreſſa aliquot horarum febricula eryſipelate cum tumore ſat magno occupatur: eryſipelate formato pulſus eſt

bonus, apyretos, nihil in methodo medendi mutatur.

23. Novembris, eryſipelas & pedis ac cruris tumor fere integre diſparuerunt: integumenta poſteriora a carnibus ſeparata illis iterum perfecte agglutinata ſunt, & inde antrorſum cicatrix incœpit extendi: ſic a poſteriori externa & ſuperiori ulceris parte ſenſim aucta cicatrice, ulceris ſuperficies multum minuitur: in medio tamen videtur excreſcere nimis: quare miſſa mucilagine, ſola camphora ſicca ſuperpoſitis deſuper plumaceolis ſiccis deligatur, & pergit ægra eandem, ac ante, medicamenti doſin abſque minimo incommodo ſumere.

4. Decembris cicatrix undique verſus ulceris centrum extenditur, & ulceris apparens nimia elevatio, illa accedente, deprimitur, diſparet: pes & crus naturalia ſunt: color cachecticus in ſanum mutatus eſt: carnes toto corpori augentur, firmæ ſunt: vires ſunt optimæ, & ægra bonam diei partem per cubiculum deambulat.

10. Decembris, heri poſt prandium caput grave factum eſt: nox fuit minus bona ſolito: hodie, præter capitis gravitatem, torporem conqueritur, & ait

ſe ſenſum tenſionis & tumoris per totum corpus pati. Pulſus eſt plenus, ſolidus, parvus, minimē febrilis. Miſſus fit camphoræ internus uſus. Ægræ jam in tertium menſem menſtruis carenti vena in pede ſecatur: deligatio ulceris quod in ſuperiori parte parva plaga fungoſe excreſcit, continuet, ut ante, camphora ſicca fieri.

16. Decembris in ſuperiori ulceris parte fungus mollis mediæ nucis juglandis magnitudine excrevit, cui ſacrificato oleum camphoræ cum ſpir. nitri fortiſſimo paratum inſtillatur, illique plumaceolum eodem oleo imbutum ſuperponitur. Reliquum ut ante deligatur: ægra denuo camphor. dr. j. cum nitri dr. ß. incipit per diem ſumere. Pulſus eſt collapſus, mollis, liber, & omnes functiones bonæ.

Ab applicatione olei camphoræ eſcharæ molles factæ ſunt, fere ſponte ſecedentes, & ſic fungoſitate fere integre conſumpta denuo camphora ſicca 19. Decembris deligatio facta eſt.

26. Decembris, pulſus eſt pacatiſſimus, mollis, liber: omnes functiones bonæ: ut acceleretur ulceris cicatriſatio, denuo quotidie camphor. dr. j. ß. abſque nitro abſumit.

2. Januarii 1772. ulcus ſenſim magis magiſque cicatrice obducitur. Datur ipſi purgans; miſſus fit camphoræ internus uſus; circa medium Februarii coaluit ulcus; optima ſanitate fruitur & brevi poſt dimittitur.

CASUS VIGESIMUS SEXTUS.

PUELLAM 20. annorum, ſanguinei temperamenti toroſam, 17. Novembris 1772. in noſocomium curandam ſuſcepimus.

Hæc puella variolas & morbillos ante pubertatem paſſa, alias ſemper ſana, 16. ætatis anno menſtruis prima vice gaviſa eſt, quæ ab eo tempore ſat copioſe, regulariter fluxere: donec menſe Junii hujus anni, fratre, ipſius uxore & tota ipſius familia morbo petechiali, quo durante cuſtodis vices apud omnes egerat, extinctis, in magnum mœrorem lapſæ emanſerit periodica menſium evacuatio, & puella eodem, quo illi, quibus inſervierat, morbo putrido epidemico correpta fuerit.

Hoc morbo graviſſime & diu decubuit: negligenter tractata fuit, & evaſit intumeſcente pede ſiniſtro: tumore cito

totum crus & femur ad coxam uſque abſque dolore occupante.

Sub finem Julii ſcabies purulenta in utraque manu & crure ſiniſtro erupit, quæ poſt quindecim dies ſponte diſparuit, & brevi denuo erupit, aucto ſenſim cruris tumore, quod brevi maculis latis, cæruleis, fuſcis, cito in ulcera abeuntibus notatum eſt, & greſſus præ dolore factus eſt difficilior.

Ulcera tantum gluten viride tenax in fila ducendum dederunt: erant autem, dum in noſocomium ſuſcepta fuit, horæ ſeptem: tria ſuperficialia in pede: quatuor profunda floreno majora, unum internam inferiorem, aliud mediam anteriorem, tertium externam, quartum internam ſuperiorem cruris partem obſidebant; femur parum tumebat; crus valde tumidum, tenſum, elaſticum, frigidum, ab attactu valde dolens, colore fuſco, maculis latis, cæruleis, hinc inde interſperſis tinctum erat: color faciei flavofuſcus: pulſus pacatus, mollis, æqualis, appetitus nullus, reliquæ functiones ſat bonæ.

Data ſunt illi quater in die camphoræ gr. xv. Ulceribus denſum pulveris camphoræ ſtratum bis de die inſperſum eſt, & totum crus & pes pannis mucilagine

camphorata vaſe clauſo tepefacta imprægnatis, aliquoties in die renovandis, involuta ſunt.

Tertia ab uſu medicamenti die, crus valde collapſum erat: omnia ulcera pura ſuppurabant.

24. Novembris crus indolens molem & colorem naturalem denuo habet: omnia ulcera pulchre ſuppurant miſſa ſit mucilago.

6. Decembris ulcera pedis & ſuperius internum cruris ulcus cicatrice obducta ſunt: reliqua verſus ſuperficiem, aſſurgente fundo, optime continuant ſuppurare.

12. Decembris puella, quæ hucuſque camphoram bene tulit, ait ſe heri veſpere poſt medicamentum aſſumptum, multum capite incaluiſſe: lenes tendinum ſubſultus aliquoties paſſam eſſe: caput gravius eſſe ſolito. Pulſus eſt plenus, ſolidus, parvus: appetitus autem optimus & reliquæ functiones bonæ. Interno camphoræ uſui ſuperſedetur: ejus pulvere continuant deligari ulcera, & datur puellæ purgans.

19. Decembris ægra ab aliquot diebus anxietates, calores continuat per vices conqueri: pulſus ut ante: vena

hodie in brachio secta, eductus est sanguis omni nota bonus.

2. Januarii licet valde immorigera ægra a 15. diebus cruri nullo modo pepercerit, omnia ulcera coaluerunt, & ægra optime habens ex nosocomio discedit.

CASUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

PUELLÆ 24. annorum, 15. ætatis anno prima erupere menstrua, quæ ordinario per 4. 5. dies fluentia, tempore & copia irregularia semper fuere.

A pueritia ad 18. ætatis annum, si variolas & morbillos facile exantlatos excipias, nullum morbum passa est: 18. ætatis anno febri continua, putrida sat diu decubuit, post quam usque ad 22. ætatis annum, licet menstrua æque irregularia fuerint, ac ante, sana vixit.

22. ætatis anno emansere menstrua, fluor albus blandus adfuit continuus & in utroque inguine erupit bubo, qui nullis adhibitis medicamentis in suppurationem abiverunt, sponte aperti sunt & coaluerunt, manente fluore albo, benigno.

Ante biennium post usum balnei

aquæ dulcis frigore, lumborum doloribus & abdominis validis torminibus correpta est : multa materies fusca, tenuis, inodora ex vagina effluere incœpit : accessit vehemens cum capitis dolore & totius corporis magna lassitudine calor : vena secta, omnia symptomata cessarunt : continuavit autem fluxus materiæ tenuis, modo fuscæ, modo viridis, minime urens : cui subinde menstrua sanguinis evacuatio sociabatur.

Sub finem Maii anni 1772. ad nos venit tota emaciata, coloris flavo viridis & ita debilis ut vix loco se movere posset. Omnes functiones læsæ : hypogastrium valde dolens : materies ex genitalibus effluens copiosissima, tenuis, varie colorata, fœtidissima.

Variis trium mensium spatio adhibitis magnum levamen habuit, quare credens omnia bene processura, non potuit diutius in nosocomio retineri.

Mansit per quinque septimanas extra nosocomium, & 8 Octobris redivit multo pejus habens, quam ante.

Dolores lancinantes in artubus, diu noctuque æquales, subinde recurrentes patitur : sub somno in pectore & collo multum sudat : debilissima est : tussitat : pulsus est debilis, parvus, laxus : ab

aſſumptis cibis angitur : cutis color valde cachecticus : hypogaſtrium præcipue parte ſua ſiniſtra tumidum, tenſum, durum, valde dolens : fluxus materiæ viridis fuſcæ copioſiſſimus, valde fœtidus, vaginam tamen hucuſque non excorians.

Omni arte uſque ad 13. Decembris adhibita levamen huic miſeræ adferre incaſſum conamur : omnia in deterius vergunt : & tantum fœtorem ſpargit, ut fere impoſſibile ſit illum ſuſtinere.

13 Decembris præſcribitur ſequens medicamentum :

℞. Gumm. arabic. unc. ß. ſolve in aq. pur. unc. vj. cui terendo admiſce camphor. dr. vj. D. in vitro. Tepefiat in aqua tepida vaſe clauſo, & fiant inde mane & veſpere injectiones in uterum & præter decoctum emolliens, pectorale ſumat ægra quater in die camphor. gr. xv.

14 Decembris fœtor multum minuitur, 15. vix fœtor amplius adeſt : fluxus fit parcior, ſpiſſior : molleſcit hypogaſtrium, minus dolet.

20. Decembris hypogaſtrium integre collapſum, molle, vix amplius dolens : fœtor nullus : fluxus materiæ albeſcentis valde paucus ; ſub injectionibus

dolet in lumbis & medio quadrante horæ post injectiones, dolores lenes, urentes in utero patitur: dein absque dolore est: pulsus melioratur. Alvus naturalis: urina bona: appetitus nullus.

26. Decembris datur ipecacuanh. dr. ß. ob ventriculi repletionem de qua conqueritur, & inappetentiam: inde pluries vomit aquosa, pauco muco mixta: disparet sensus repletionis: sequenti die erumpunt menstrua fuscentia, quæ per triduum pauca copia fluxerunt. Omissæ sunt hoc triduo injectiones: priorem camphoræ dosin continuavit sumere.

30. Decembris, incipit camphor. dr. j. ß. quotidie absumere: injectiones fiunt ut ante: color cachecticus in sanum mutatur: carnes renascuntur, firmiores fiunt: vires redeunt & mentis alacritas.

2 Januarii, omnia continuo in melius mutantur: appetitus est magnus. Conceditur carnium teneriorum usus: & dantur camphor. dr. ij. per diem absumendæ.

9 Januarii 1773. a camphora vertigines lenes, cito evanidas, conqueritur. Continuat bene habere: de putrido

fluxu nihil supereſt. Hypogaſtrium molle, indolens eſt. In collo ſex glandulæ intumeſcunt, & jam nucis juglandis magnitudinem adeptæ ſunt. Miſſus fit camphoræ uſus : & alia curandi via initur.

CASUS VIGES. OCTAVUS.

PUELLA 40. annorum, in pueritia a matre per plures annos frequenter pugno in nate dextra percuſſa fuit : ortus eſt inde tumor mobilis, parvus, qui ſub repetitis ejuſmodi percuſſionibus ante pubertatem jam caput infantis magnitudine æquabat.

18. ætatis anno prima ipſi erupere menſtrua, quæ ſemper fuere pauca, valde irregularia. Hiſque nunc jam a triennio penitus caret.

Poſt menſtruorum primam eruptionem ſemper valetudinaria fuit : preſſus tumor dolere cœpit : quare ab eo tempore, non niſi nati ſiniſtræ inſidere potuit.

Famulatu vitam ſuſtentavit : donec tumore gangræna jam a pluribus diebus occupato & exhauſtis viribus, laboribus domeſticis impar malum, quod

hucusque præ pudore celaverat, revelare coacta fuerit.

Paucis incassum adhibitis medicamentis 17 Novembris anni 1772. ad nostrum nosocomium delata est.

Gerebat tumorem atheromatosum valde crassum, ad poplitem usque descendentem, lata basi natem dextram & superiorem femoris partem occupantem, media parte inferiori lividam, frigidam: color corporis valde emaciati flavo viridis erat: magna per totum corpus laxitas: virium magna prostratio, alvus tarda: appetitus nullus: sitis mediocris: sudor frequens & multus; pulsus tamen sat bonus, & respiratio naturalis.

Datur ipsi quater de die cortic. peruviani dr. j. Præscribitur diæta eupepta, antiseptica: latus tumor antisepticis diligenter fovetur: quibus non obstantibus gangræna sensim magis versus tumoris basin ascendit.

Vigesima Novembris expertissimus nostri nosocomii Chirurgus Dominus Wallner totam massam perfecte enucleando abstulit: & sollicite applicatis optimis medicamentis, ægra ut ante, cortice & aliis pergente uti, conatus est ad suppurationem ducere ulcus, quod 24 Novembris incœpit pus tenue dare.

A cortice valde anxia fit ægra : ait ſibi omnia circa ventriculum & hypochondria conſtringi : frequentes habet vomendi conatus, qui, miſſo cortice, cito evaneſcunt.

1 Decembris multum ſuppurat ulcus : ſed valde flaccida ſunt omnia : pus tenue, virideſcens : redditur prior corticis doſis, quam ægra repugnanter ſumit : digeſtivo compoſito deligatur ulcus & deſuper fomentum ex decocto corticis peruv. & aliis herbis antiſepticis illi infuſis paratum ſæpius applicatur.

Pus his non mutatur in melius : imo 12 Decembris incipit fœtere macula livida, unciam lata, ſeſqui-unciam longa, licet nunquam in dorſum decumbat ægra, os ſacrum occupat, ſaturatiſſimo corticis peruviani decocto, cui alia antiſeptica addita ſunt, deligantur omnia, diligenter foventur. Uſus corticis peruviani internus continuatur.

16 Decembris, omnia circum ulcus laxo tumore valde diſtenta : margines circumquaque nigri : ulcus 8. uncias pariſinas longum, $5\frac{1}{2}$. uncias latum, quod cavitate ſua caput infantis capere poſſet, copioſum pus valde tenue, viride, fruſtulis nigris mixtum, fœtidiſſi-

mum dat: macula os ſacrum occupans nigra eſt: ægra jam ab octiduo ſudoribus frequenter diffluit. Pulſus eſt valde febrilis, vacuus, modo flaccidus, modo tenſus, debilis: reſpiratio crebra, celeris, anxia, ſæpe ſublimis: lingua ſicca, nigra: ſitis vix ulla: oculi luridi: debilitas ſumma.

Dantur ægræ ſexies per diem camphor. gr. xv. ulcus plumaceolis mucilag. N. 4. fortiori imprægnatis, ſuperſtrato multo camphor. pulvere deligatur, apparatu ter in die renovando: eadem mucilago muculæ nigræ oſſis ſacri applicatur.

17. Fœtor minor: reſpiratio facilior: pulſus minus febrilis. Sumat ægra ſexies in die camphor. ſcr. j.

18. Reſpiratio naturalis: pulſus mollis, ſolidus, æqualis, pacatiſſimus: vires meliores: lingua humida depuratur: ſudor minuitur: appetitus redit; totum ulcus & ipſius margines, excepta parte ſuperiori adhuc gangrænoſa, pus ſpiſſum, ſubflavum, minime fœtidum dat: muſculi in fundo ulceris nudi exeſi circumjacentium integumentorum tumor collabitur: loco muculæ in oſſe ſacro ulcus adeſt; quod jam aliquid puris dat.

22. Omnia pergunt optime procedere. Integumentis circumquaque penitus collapsis cavum ulceris ubique puri, optimum pus dantis valde minutum est: ulcus ossis sacri bene suppurat, impletur; vires crescunt: sudor paucior, minus frequens.

28 Decembris a quinque diebus neque de die, neque de nocte amplius sudat: pulsus volumine augetur, solidus, æqualis, fortis, minime febrilis: respiratio optima: omnes functiones bonæ: ulcus supra os sacrum cicatrisatur. Ulceris magni cavum renatis carnibus impletum, marginibus fere æquale est.

9 Januarii 1773. jam a 4. diebus ex lecto surgit: robusta est, optime valet. Ulcus supra os sacrum coaluit: magnum natis ulcus, excepta parva parte mariani magnitudine, optima cicatrice obductum est: abstinet a camphoræ interno usu.

20 Februarii integre curata est: carnes & vires corpori renatæ sunt: brevi post dimittitur.

CASUS VIGESIMUS NONUS.

OPERARIUS 25. annos, natus torosus, robustus, temperamenti sanguinei, a pueritia semper sanus, morbo petechiali epidemico hoc anno, adulto jam vere, decubuit post quem optima sanitate iterum gavisus est.

Ultima Novembris noctu in fœno calente profunde sepultus noctem transegit: unde prima Decembris surgens, multum debilitatus erat, & oculus dexter multum intumuerat.

Tumorem hunc ingrato solummodo pruritu ipsi molestum per triduum neglexit: illo autem in valde magnam molem elato territus 4 Decembris ad nos venit.

Tumor palpebras valde distendens, superius ad medium dextræ partis frontis, inferius ad maxillam inferiorem usque extensus, durus, elasticus colore ex rubro fuscescente præditus erat. Pulsus mollis, liber, minime febrilis. Fomentum emolliens, resolvens ex althæa, verbasco, floribus sambuci, chamomillæ, addito sale ammoniaco diligenter

applicatur. Purgantia & alia revellentia adhibentur.

6 Decembris palpebræ nigræ ſunt: reliquum tumoris lividum: tumor idem ac prius: dolor nullus. Statum oculi ob magnitudinem & tenſionem tumoris palpebrarum æque parum ac ante videre poſſumus. Pulſus & reſpiratio non videntur læſæ. Reliquæ functiones bonæ.

Palpebræ hinc inde ſcarificantur: loca ſcarificata & totus tumor mucilag. N. 5. tegitur, ſæpius renovanda. Dantur ægro ſexies in die camphoræ gr. xv.

8. Decembris tumor collabitur: loca ſcarificata ſaniem & hinc inde aliquid puris dant.

9 Decembris loco ſaniei ubique in locis ſcarificatis pus tenue, flaveſcens adeſt.

12 Decembris linea, quaſi cultro inciſa in ſuperiori orbitæ parte incœpta, ſupra ſuperiorem naſi & externam malæ partem uſque infra os zigomaticum deſcendens circulum magnum deſcribit, & mortua integumenta a vivis ſeparat: hinc inde cutis fruſtula abſcedunt: tumor ubique multum collapſus: in gena & fronte color melior: oculus tamen hucuſque non poteſt examinari.

14 Decembris cutis fruſtillatim con-

tinuat separari: suppuratio in locis cute orbis sat bona, copiosa: diductis palpebris oculus sanus invenitur. Omnes functiones continuant esse sat bonæ.

Gangrænosa integumenta sensim ita abscesserunt, ut 20 Decembris tantum frustulum fabam majorem anglicam magnitudine referens prope canthum oculi externum superesset, firmiter adhærens: frons naturalis; cutis genæ viridescens consumpto panniculo adiposo a subjacentibus separata ad pollicis fere longitudinem: palpebrarum membrana interna integra: tarsi integri: inferior deorsum revolutus. Cœterum totum ulcus suppurat. Pulsus est plenus, fortis, subdurus. Capitis gravitatem conquæritur.

Tarsum palpebræ inferioris conatur Chirurgus in situ retinere: totum ulcus eadem mucilagine deligatur: vena educuntur sanguinis unc. xij. cujus insula debitæ seri quantitati innatans, optimæ consistentiæ, tenui crusta phlogistica tecta est, & æger a camphora abstinet.

22 Decembris suppuratio ubique paucior, minus bona. Residuum gangrænosum prope canthum oculi externum immobile perstat. Dantur ægro

quotidie camphor. dr. ij. cum nitri dr. ß.

24 Decembris optima est ubique suppuratio : & gangrænosum in cantho oculi residuum sensim minutum tendinem tabo affecit : fibrillæ nigræ ab hoc secedentes , simul cum reliquo ; cultro auferuntur. Integumenta temporis dextri consumpto panniculo adiposo a subjacentibus late abscesserunt, & magnum sinum formant, versus canthum oculi apertum.

2 Januarii 1772. æger dictam camphor. dosin optime fert ; a superiori orbitæ parte cicatrix versus tarsum, jam duas lineas lata descendit. Sinus suppurant quidem , sed non minuuntur : cultro dilatantur & omnia mucilag. N. 5. deligantur.

12 Januarii integumenta sinuum subjacentibus incipiunt uniri : sinus minuuntur : palpebra superior fere integre cicatrice obducta. Æger quoad reliqua optime habens continuat quotidie camphor. dr. ij. sumere. Valde appetit. conceditur carnium esus.

Perrexit æger quotidie camphoræ dr. ij. absque incommodo sumere usque ad initium Februarii , quo tempore , cum omnia cicatrice obducta sint, missus fit

illius uſus, juvenis toroſus, robuſtus optime coloratus, quoad omnia optime valet.

COROLLARIA.

CAMPHORA debite exhibita eſt omnium, quæ nota ſunt, efficaciſſimum contra putredinem medicamentum, ſi doſi magnitudini mali adaptata porrigatur.

Putridam humorum diſſolutionem ſponte, vel a contagio natam cito ſiſtit: naturalem, ſanam ſanguini craſin ita reſtituit, ut ſub illius non admodum diu protracto uſu morboſa corpora ſanorum plethoricorum naturam, qualitates & ſigna induant.

Non habetur remedium, quod tam prompte, tam efficaciter gangrænam partium ſolidarum ſiſtat, mortua a ſanis tam cito ſeparet.

Ubi acrimonia ſcorbutica, rheumatica, arthritica humores infecit ſpecie quadam putredinis, vires vitales & animales labefactantis, ut inde in variis locis decubitus materiæ acris cum dolore & ſubin partium immobilitate fiant; camphora efficax eſt remedium.

Ulcera

Ulcera inde nata in & externus camphoræ uſus cito depurat, ad ſuppurationem ducit, curat.

Ulcera cancroſa a ſpeciali humorum & ſolidorum degeneratione orta, extra glandulas ſita, conſumpta fungoſitate, cicatrice firma abducit, imo mammæ cancro putreſcente, omnes functiones lethalibus ſignis imbuente affectam 84. annorum vetulam, quæ moribunda ad nos delata fuerat, in & externo camphoræ uſu ultra duos menſes ſuſtinui: cito gangrenæ ſucceſſit ſuppuratio, pulſus flaccidus, debilis, ſoliditatem & robur acquiſivit, manſit autem mala reſpiratio. Poſt mortem inventi ſunt pulmones multis ſcyrrhis & vomicis materia mucoſa, nigra plenis obſiti, undique accreti. Pancreas parvum, duriſſimum: numeroſæ meſenterii glandulæ faba majori craſſiores, ſcyrrhoſæ, &c.

Sudores a putrida humorum diſſolutione & inde relaxatis ſolidis ortos putredinem corrigendo ſiſtit. Sitim, calorem, febrim, vaſorum tenſiones, tendinum ſubſultus ab acri putrido producta mirabili promptitudine tollit.

Vires a putredine proſtratas cito reſtituit, humores ad debitam conſiſtentiam

& lenitatem, ſolidas partes ad ſanam firmitatem reducendo.

Excretionem acris in humoribus hærentis, illorum motum irritatis vaſis accelerantis cum ſanguinis minus firma craſi, ſedando vel minuendo febrim, promovet.

Emphyſemata in morbis putridiſſimis frequenter apparentia, ni jam integra humorum decompoſitio facta fuerit, cito diſſipat, & magni illi tumores latas plagas profunde gangrænoſas circumdantes ſub uſu camphoræ cito collabuntur.

Camphora non eſt remedium prophylacticum contra miaſma epidemicum morbos putridos producens, licet hujus miaſmatis effectum, putredinem nempe humorum corrigat, vires ſuſtineat, erigatque ad venenum ex corpore eliminandum.

Lue venerea laborantes a camphora, magna doſi data male habent: ſpaſmis corripiuntur convulſiones minitantibus: excitatur inde in illis febris, & varia alia ſymptomata; ſi tamen in humoribus jam nata ſit putredo, his etiam prodeſt.

Plethorici camphoram non ferunt, nocet omnibus firma ſanitate gaudentibus.

Camphoræ secundum indicationem adhibitæ usus præter jam modo dicta alias adhuc cautelas requirit.

Si magna dosis in pulvere homini detur, cujus nervi non obtusi vel sensu in gravi morbo privati sunt, vix potest sumere: si sumat, fit ebrius, vertiginosus & spasmis corripitur, ni magnus sit in primis viis & reliquo corpore putredinis gradus.

Camphora in nullo menstruo perfecte solvitur, tantum in aliquibus deliquescit, mucilaginosis optime miscetur.

Mucilagine involuta non simul & semel nervos oris, œsophagi, ventriculi &c. vasa resorbentia afficit, sed sensim extricata per oscula vasorum resorbentium secundas vias intrat & ibi effectus suos edit.

Mucilago nutrit, acre demulcet, emollit, relaxat, omnia lubrica reddit: hinc majoris vel minoris consistentiæ secundum indicationem parari debet, modo camphoræ admixtioni sufficiat, & sat blandum vehiculum præbeat.

Si præsente gangræna pulsus sit fortis, durus, magnus, vel præ plenitudine parvus: si sanguis sit phlogisticus, licet pulsus sat mollis & liber videatur,

magna camphoræ dosis teterrima mala causare potest, imo moderata hujus medicamenti dosis hominibus sanguinem sic constitutum habentibus subinde non sine noxa exhibetur, licet noverit practicus miasma aliquod putredini in humoribus generandæ aptum cum illis circumduci.

Camphora nempe, ut relatæ observationes demonstrant, nimis attenuatos & dissolutos humores inspissat, compingit &c. hinc ubi debita consistentia jam gaudent, vel nimia tenacitate ad inflammatoriam vergente peccant; patet hoc medicamentum, nisi minima dosi detur, nocere debere.

Ubi urgens malum camphoram poscit, præsente aliquali sanguinis ad spissitudinem inflammatoriam dispositione, præmissa vasorum, si nimis plena sint, depletione, proportionata nitri dosis simul cum camphora exhiberi debet, quod humorum morbosam condensationem impedit: dum camphora desideratos in corpore effectus edit, facile autem patet nociturum nitrum, si humorum adsit dissolutio.

Ubi pulsus debilitas, vacuitas, flacciditas &c. & alia in respiratione aliisque functionibus gangrænæ signa adsunt,

ingentem camphoræ dosin facile & summa cum euphoria sumunt ægri, optimeque ferunt, & miraculi instar ex orci faucibus cito eripiuntur.

Hi iidem ægri, quibus magna camphoræ dosis tam benefecit, mutata sub ipsius continuato usu morbosa sanguinis crasi in consistentiam quæ sanis & robustis corporibus propria est, ab illa male afficiuntur, eamque non amplius ferunt, nisi prius depletis vasis cum nitro porrigatur.

Nonnulli tamen ex his magnam camphoræ dosin diu ferunt, post quam cutis color, corporis robur, pulius, respiratio & omnes functiones sanam solidorum fluidorumque constitutionem præ se ferunt.

Subiti, sæpe redeuntes & plerumque cito disparentes calores, anxietates, capitis gravitates, aurium tinnitus, leves vertigines, magna pulsus plenitudo monent a camphora abstinendum esse, vel minori dosi, aut addito nitro, si morbi continuatio ipsius usum necessarium reddat, exhibendam esse.

Nisi præceps periculum subitam opem requirat, a dosi mediocri semper incipiendum: imo ubi unius diei spatio magna dosis, v. g. dr. ij. sunt absumen-

dæ: præstat ut in doses N. 8. vel plures dividatur, sic enim ægri facile sumunt & bene ferunt, qui a dr. ß. una dosi sumpta subinde per aliquot minuta speciem ebrietatis, patiuntur & postea medicamentum minus libenter sumunt; unicum habui, qui ne tam sæpe illud sumere deberet, sine incommodo diu dr. j. pro dosi, id est tripartita dosi dr. iij. camphoræ quotidie absumpsit, raro autem, credo, invenientur, qui tantam dosin uno haustu absque incommodo sumere possint. Videntur dr. ij. per diem contra pessimas externas gangrænas, quæ jam sanguinis massam infecerunt, sufficere, imo dr. j. ß. dr. j. quotidie assumpta sæpe votis satisfaciunt.

Si vero pars interna gangræna jam sit destructa, tabus putridus in cavitates extra circulationis limites effusus omnia pessumdat, & si per injectiones ad illa loca pervenire nequeat camphora, lethalis putredinis effectus per os assumpta impedire nequit: potest tamen sanguinis putridam dissolutionem remorando vitam prolongare.

Injici potest camphora mucilagini mixta in intestina, in uterum, & in sinus omnes, ad quos patet aditus: sicque optimos effectus edit, ad paran-

dam mucilaginem injectionibus destinatam sufficiunt scr. ij. dr. ß. scr. j. gumm. arabici ad aquæ unc. j. cui deinde major vel minor camphoræ dosis pro ratione magnitudinis mali admiscetur, ita tamen ut semper attente observet Medicus, quomodo ferat æger.

Dum mucilago externis ulceribus applicatur, si emolliendum, relaxandum est, & magna substantiæ facta fuerit consumptio, paulo spissior paranda est, si contrarium obtineat, dilutior fieri debet, & secundum indicationem camphora magis saturari.

Ubi excrescentiæ hinc inde in ulceribus adsunt, vel tota ulceris superficies supra margines nimis excrescere videtur, præstat siccum applicare camphoræ pulverem, parva tamen elevatio non est timenda, cicatrix enim ab omni habitu accedens omnia æqualia reddit, potest in tali casu applicari mucilag. camphora magis saturata.

Dum pulvis camphoræ externe applicatur, debet digitis tritus ulceribus inspergi, in pixide enim asservatus cito in moleculas coit, quæ ulceribus applicatæ corpora irritantia sunt, & cicatricem impediunt. Ubi excrescentiæ magnæ sunt, solus pulvis camphoræ su-

perpositis plumaceolis siccis applicandus est.

Si pulvis camphoræ ad fungosas excrescentias consumendas non sufficiat, camphora spiritui nitri forti ad perfectam saturationem mixta in oleum deliquescit, & lenissimum dat escharoticum crustam mollem faciens, qua aliquoties ablata, fungositas consumitur, & continuata dein pulveris camphoræ applicatione ulcus cicatrice obducitur.

Externus camphoræ usus locum habet semper & ubicumque gangræna adest: si sicca est, mucilagini mixta tepefacta applicari debet, si humida densum pulveris stratum inspergitur, & pro ratione indicationis, vel sicca plumaceola, vel mucilagine camphorata imprægnata superponuntur.

Hæc nunc de camphora; dabitur, credo, postea iterum occasio de hoc medicamento quædam dicendi.

FORMULÆ.

N. 1. ℞. Gumm. arabic. dr. j. ſolve
in aq. flor. tiliæ unc. iij.
dein terendo admiſce
camphor. dr. ß.
ſyr. capill. vener. unc. j.

M. S. *Quater de die unc. j. detur ſuperpotando vaſculum emulſi vel decocti alicujus.*

vel

℞. Amygdal. dulc. dr. iij.
fiat c. aq. pur. L. A. emulſio
colat. unc. iij.
adde terendo
camphor. dr. ß.
ſyr. capill. vener. unc. j.

M. S. *Uſus ut prioris:* vel

℞. Sacchar. cand. dr. vj.
ſolve in aq. pur. unc. iv.
dein terendo admiſce
camphor. dr. ß.
d. u.

S. *Uſus ut prioris.*

N. 2. ℞. Gumm. arabic. dr. ij.
ſolve in aq. pur. unc. ij. ß.
adde terendo
camphoræ dr. j.

fyr. althææ. unc. j. ß.

M. S. *Divisis dosibus uno die absumat :*

vel

℞. Aq. flor. tiliæ unc. v.
specier. diatragac. frigid. dr. j. ß.
camphor. terendo admixtæ dr. j.
fyr. diacod. unc. j.

M. S. *Usus ut prioris.*

N. 3. ℞. Gumm. arabic. dr. ij.
solv. in aq. flor. tiliæ unc. ij.
adde terendo
camphor. dr. j. ß
fyr. althæ. unc. ij.

M. S. *Divisis dosibus uno die absumat :*

vel

℞. Rad. salab. dr. j. ß.
coq. c. aq. q. s. p. $\frac{1}{4}$ hor.
colat. unc. x. adde terendo
camphor. dr. j. ß.
fyr. flor. rhæad. unc. ij.

M. S. *Usus ut prioris.*

N. 4. ℞. Mucilagin. gumm. arabic. unc. ij.
camphor. terendo admixtæ dr. ij.
fyr. althæ. unc. ij. ß.

M. S. *Divisis dosibus diei unius spatio absumat :* vel

℞. Amygdal. dulc. unc. j. ß.
fiat cum aq. pur. L. A.
emulf. colat. unc. iv.

adde terendo
camphor. dr. ij.
ſyr. capill. vener. unc. ij.

M. S. *Uſus ut prioris.*

N. 5. ℞. Mucil. gum. arab. lib. j.
camphor. terendo admixtæ
unc. j. ß. d. u.

Huic vaſe clauſo tepefactæ intinguntur plumaceola & lintea pro deligatione, vel

℞. Mucilag. gumm. arabic. lib. j.
camphor. terendo additæ unc. iij.
d. u.

S. *Uſus ut prioris*,
vel

℞. Mucilag. gumm. arabic. unc. vj.
camphor. unc. ij.

Diligenter terendo miſceantur.
d. u.

S. *Uſus ut prioris.*

N. 6. ℞. Gumm. arabic. unc. j.
ſolv. in aq. pur. lib. j.
dein terendo admiſce
camphor. unc. ß.
d. pro enemate
tepide injiciendo.

Quivis videt haſce formulas facili opera multipliciter variari poſſe.

Finis Tomi II.